neglexit, eleemoſynis tamen poſtea largiſſimè redemit. Nam A tempore primi Libertini arcem demolitus, conventum ibi clericorum inſtituit, & cenſibus locum ditavit. Ter ſe captivum Eccleſiæ conſtituens, auro, prædiis & ornamentis, quaſi de manu victoris ſe redemit: quæ omnia donavit inſtituto fratrum conventui. *Crantz. l.6. Metrop. c.24.*

Religioſæ Conjunctionis. Compaternitatis.

☞ *Ex Tit. Divortii huc quædam, quatenus propter Spiritualem Cognationem ſeparatio fit.*

Deuſdedit I. Pontifex ſub Heraclio conſtituit, ne Patrinus patrinam, aut filius patrini puellam, è ſacro fonte à patre levatam, ducere in uxorem poſſet. *Plat. & Crantz. lib. 2. Metrop.*

Nicephor. Phocas Imp. creatus, cum Theophania Romani Junioris vidua nuptias celebraturus, quòd ferebatur compater fuiſſe in ſancto lavacro liberorum Theophaniæ, à Patriarcha Polyeucto æde ſacra prohibitus fuit, niſi divortium celebraret cum Theophania. Re ad ſacerdotes primores, ac majo- B res natu delata, legem hanc, utpote à Conſtantino Copronymo impuriſſ. latam, nihil momenti habere dixerunt, adeòque omnes unà conceſſionem, ſcriptis expreſſam, Imperatori præbuerunt. Sed Patriarcha flecti non potuit, quoad principis P. Cæſar Bardas (hac enim dignitate filius patrem adepto regno condecorarat) juramentum interpoſuit, Nicephorum nunquam compatrem extitiſſe liberorum Theophaniæ, ſed avum maternum Baſilii, & Conſtantini, filiorum Romani Imp. Stilianum, hujus rumoris auctorem fuiſſe, qui has libenter dirupiſſet nuptias. *Zonar.*

Uladislaus Jagello Polonorum Rex tertiam uxorem duxit Eliſabetham Pileciam, Othonis Palatini Sendomirienſis F. ſororem ſuam ſpiritualem, utpote, à cujus matre ipſe, cùm unà cum regno baptiſmi ſuſciperet, de fonte ſacro ſuſceptus fuerat. *Crom. lib. 18.*

Ætatis. Conjuges Ætate *Pares.*

Uladislaus Boemiæ, & Hungar. Rex, Ludovico F. & C Annæ F. nuptias quærens, Viennam ad Maximilianum I. Cæſarem profectus eſt cum liberis, & Sigiſmundo Rege Poloniæ. Cæſar petebat, ut nepotibus ſuis ex Philippo F. Carolo, aut Ferdinando, Anna deſponſaretur, & viciſſim Ludovicus ſtipularetur, ſe neptem Cæſaris Mariam in matrimonium ducturum. At cùm Anna proximè ad maturitatem accedere videretur, de ea liberum Cæſari uterque frater fecit, ut eam vel ſibi copularet, vel alterutri nepotum deſtinaret. Tum Cæſar: Vivam, inquit, adhuc memoriam Frider. Cæſ. parentis teneo, dicere ſoliti: Si quis honeſta ratione ſenem vita privare velit, obtrudat ei puellam juvenem: id enim ſenibus præſens eſſe venenum. Quo dicto ego monitus, valde ſeniliter deſiperem, ſi ſciens, volenſque periculum mortis adirem: dein vehementer in puellam peccarem, ſi brevi moriturus viduam relinquerem non ſtatim poſt Cæſarem maritum alium inventuram. Proin, conſilium placet, quod puellis dedit ille qui cecinit.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Optimè enim juveni cum juvene convenit. Annam ergo Viennæ retinuit, ut ſimul cum nepte Maria in eodem gynæceo D educarentur, ſermonemque Germanum perdiſceret, donec ambo adoleſcerent, ſponſus & ſponſa. *Dubrav. l. 32.*

Diſpares. Senex, & Juvenis.

Erginus, Minyarum Rex, jam ſenex, liberorum cupiditate adoleſcentulam duxit uxorem. *Pauſ. in Bœoticis.*

Hercules uxorem ſuam Megaram Jolao nuptui dedit annos tunc nato ſexdecim, illam jam quatuor & triginta. *Plut. Serm. amator.*

Demetrius Poliorcetes duxit uxorem Athenis Eurydicem ex nobili Miltiadis familia. Duxit & alias alibi, & in his Philam, Antipatri Regis Macedonum filiam, Crateri (quem præ omnibus Alexandri ſucceſſoribus Macedones maximi fecerant) uxorem, per quam eſt illi poſteà Macedonum favor conciliatus. Ad hujus nuptias cùm vix compelli poſſet, quia in multum jam ætatis provecta eſſet mulier, inſuſurravit pater Antigonus Euripidion illud:

Ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον.

Δουλευτέον, inquit ille, (id eſt) Ubi affulſerit lucrum, ibi verò vel præter naturam ducenda uxor. Duabus igitur ille uxoribus uno tempore deditus, ſcortorumque cœtibus immerſus, adeò E in omnes voluptates præceps abiit, ut omnium opinione incontinentiſſimus ducum ejus ætatis haberetur. *Sabel. lib. 7. En. 4.*

Cleombrotus pugil uxorem vetulam moroſiſſimam duxerat. De qua *Lucillius in 2. Græcor. Epig. εἰς ἀγωνιστάς.*

M. Cato Cenſorius ſenex jam, & princeps in Repub. uxorem ſibi poſtulavit viduus Salonii cujuſdam clientis ſui filiam. Irrideri ſe Salonius eſt ſuſpicatus, quòd vir tantus affinitatem ſecum vellet jungere. Duxit vir ſenex adoleſcentulam, dives inopem, clarus obſcuram, princeps vilem: ea tamen (ut eſt apud D. Hieronymum) contumaciter ſe in maritum geſſit, minuſque obſequentem ſe indies illi præbuit. Ita vir ille, qui quicquid, ſive in ſenatu, ſive in foro, ſive ad populum diceret, oraculi loco accipiebatur, tantæ civitatis facilè ſapientiſſimus, & qui domi, & foris, in bello, in pace, in otio, in negotio parem non haberet ætas illa, domi auctoritate carebat apud rudem, & imprudentem puellam, tenuem, humilem, honoratam tamen, & ferè principem matronarum, mariti cauſa. *Lud. Vives de Officio mariti, ex Plut. Catone.*

Philinus quidam juvenis vetulam, vetulus juvenculam uxorem duxit. De quo *Leonides in 2. Græc. Epigr. εἰς γραίας.* F

Moschus quidam, mortua vetula divite, juvenculam duxit. De quo *in 2. Epigr. εἰς γραίας.*

Andronicus Comnenus Annam, Imp. Alexii Porphyrogeniti ab ſe interfecti ſponſam, (quæ & Agnes) Regis Francorum Ludovici Pii F. matrimonio ſibi jungit: nihil verecundatus effœtus & victus ſenex, ſobrini uxorem adoleſcentulam, roſeam, & tenellam, nondum ann. XI. natam per nefas amplecti. *Nicetas.*

Attila orbis terror, ex Italia reverſus, dum Sicambriæ in regia ſua vitam degens, non expectato Valentiniani reſponſo de Honoriæ ſororis connubio, filiam Regis Bactrianorum Mycoltham nomine uxorem duxit, virginem omnibus corporis dotibus illuſtrem, cunctiſque aliis fœminis pulcriorem. In cujus nuptiis regali apparatu celebratis, cùm ſolito largius ſe vino ingurgitaſſet, nocte inſequenti illam comprimens, venereis rebus plus æquo dedit operam: & cùm ſanguis in univerſo corpore efferbuiſſet, ejuſdem profluvio, dum altiore tenetur ſomno ſuffocatus eſt, anno Dom. (ut Chronicon teſtatur Hungaricum) quadringenteſimo quadrageſimoquinto. *Nicol. Olahus in Atila c. 16. & Bonfin.* G

Othocarus Boemie Rex Margaritam, quæ Henrico Frider. II. Imp. F. nupſerat, jam anum, propter Auſtriæ ducatum, qui ad illam morte Friderici pervenerat, in uxorem duxit: ſed poſt illi Cunegundi in Moſcham ſuperinduxit. *Bonfin. lib. 2. Decad. 2.*

Leonora Cominæa vetula, Gaſtoni II. Comiti Foiſſeio juveni nupſerat. Admirantibus quibuſdam, Ignorantia hæc fatalis eſt reſpondit. Quod ſi Foiſſejo me nupturam ſperaſſem, nativitatis certè tempus diſtuliſſem. *Ægid. Corrozetus de Dictis & factis mem.*

Cùm Philippo Vicecomiti, poſt interfectum fratrem Joan. Mariam, paternum imperium repetenti, pecunia deeſſet, à Beatrice Venda, uxore Facini Canis, celeriter impetratur propoſitis cum novo principe nuptiis, quas ipſe Facinus in extremo vitæ actu ſuaſiſſe ferebatur. Nec eas abnuit Philippus, quanquam ætate, fortunaque impares. Itaque levis mulier intempeſtivæ libidinis, majoris imperii avida, vix deterſis lachrymis, inauſpicati conjugii thorum ſubiit, quaterque centena millia aureorum nummorum dotis nomine dinumeravit. *Jovius in Philippo.* H

Cùm anno 1513. deceſſiſſet Anna regina, ſummæ religionis, & caſtimoniæ mulier: cœlibi Ludovico XII. Galliæ Regi ſupra ſolenne pacis, ac amicitiæ fœdus, Maria Henr. VII. regis Angliæ ſoror, eximiæ venuſtatis virgo deſponſa eſt. Qua in Gallam perducta, Ludovicus incredibili ſumptu, & mira ludorum varietate nuptias celebravit. Sed dum ætatis, & valetudinis, quæ ei tum erat tenuiſſima, penè oblitus, intemperantius (ut ferunt) procreandis liberis operam daret, concepta edaci febricula non multos poſt dies interiit, an. 1515. *Jovius Leone X. l. 3.*

Emmanuel Portugalliæ Rex, mortua Maria, ex qua octo liberos ſuſceperat jam quinquagenarius, à Carolo Imperatore petiit, ut Leonoram ſororem, excellenti pulchritudine, & probitate feminam, ſibi deſponderet. Atqui prius ille, ut Joanni filio collocaretur, enixè operam dederat, & ea de cauſa Petrum Goveanum in Germaniam ad Maximilianum Imperatorem legaverat: tunc verò ſic immutatus fuerat, ut eam uxorem ducere, quàm filio in matrimonium collocare mallet. A Quæ res apud multos, in varias reprehenſiones incurrit. Ergo cùm Carolus in Hiſpaniam, ut regni hæreditatem cerneret, è Gallia Belgica veniret, ad illum Alvarum Coſtam, qui regio cubiculo præerat, legatum miſit. Nuptiæ pactæ ſunt, dos etiam à Carolo dicta ab Emmanuele ſponſæ munera ingentia conſtituta: feſti dies acti, & matrimonii fœdus Cæſarauguſtæ, ubi tunc Carolus conſidebat, ſumma omnia lætitia, & gratulatione celebratum. Fuit tamen neceſſe, cùm eſſet cum Carolo, & Leonora, & ſanguinis propinquitate, & affinitate multis rationibus implicatus, & ea de cauſa per Pontificias ſanctiones nuptiæ conjungi minimè poſſent, ut Pont. Max. benignitate legibus ſolverentur. *Oſor. l. 11. rer. Em.*

Staturæ.

Ephori apud Lacedæmonios mulctam dixerunt Regi Archidamo, qui uxorem brevi corpore duxiſſet, unde qui naſcerentur, regiam perſonam ad dignitatem non ſatis honore corporis tueri, ac ſuſtinere poſſent. *L. Vives de Officio mariti.*

B Formæ. Uxores Ductæ *Deformes.*

Antipatro, qui Imp. Severo ab Epiſtolis erat, avidiùs affectante filiam (quæ fuerat ei forma haud ſanè conſpicua) Hermocrati in matrimonium tradere, non cenſuit is, arripiendam felicitatem ejuſmodi: immò nuptiarum conciliatrice inſtante acriùs, ac viri potentiam memorante: Doti, inquit, magnæ non ſerviam, neque ſoceri ſuperbiæ. Cùm verò etiam juncti ſanguine nuptias eas ſuaderent, non ceſſit prius, quàm Imp. Severi auctoritas acceſſit. Sciſcitante ex eo familiarium quodam: Quando eſſet anacalypteria (ſic dicebantur munera, quæ ſponſus ſponſæ tribuebat, cùm ſe primùm videndam præbuiſſet) præbiturus: urbanè, inquit, Hermocrates: Immò verò encalypteria, poſteàquam ita deformem ſum ducturus. Eam tamen paulò poſt dimiſit, quòd neque oculis foret grata, nec moribus commoda. *Cæl. ex Philoſtrato, l. 21. c. 26. A. L.*

Partus. Quæ Gravidæ Nupsere.

C Patrem Claudii Cæſaris Druſum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, cùm Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit: fuitque ſuſpicio, ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certè vulgatus eſt verſus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Suetonius.

Opulentiæ. Uxores *Dotatæ.*

Apud Hetruſcos in conjunctione nuptiali dona, & munuſcula virum ab uxore, vel contrà accipere, legibus & ſcripto jure erat vetitum, nefas exiſtimantes, quos legitimus amor conjunxiſſet, donis videri potiùs allici, quàm conjugali amore conciliari. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 5. Plut. q. Rom.*

Ægyptii adeò dotes averſati ſunt, ut qui dotes acciperent, velut mancipia uxori addicerentur. *Alex. ab Alex. l. 4. c. 8.*

Indi ubique ferè dotis lenocinium abigerunt. *Cæl. l. 18. c. 13. Antiq. Lect.*

Solon Athenienſium conjugiis dotes detraxit, ſponſamque præter tres ſtolas, & ſupplectilem parvi pretii afferre quicD quam vetuit: Neque enim meritorium, aut venale volebat fœdus eſſe nuptiarum, ſed liberorum cauſa, & gratiæ, atque amicitiæ, virum, & mulierem conſociari. *Plut. in Solone.*

Lycurgus ſponſas Spartanas viris dotes dare legibus vetuit. Itaque accuſatus, & damnatus eſt is, qui Lyſandri defuncti filiam (cui vivente patre conjugium promiſerat) ducere noluit, eò quòd Lyſander poſt mortem pauper repertus eſſet. *Ælian. l. 6. de Var. hiſt. Alex. l. 4. c. 8.*

Pop. Rom. tradunt Caii Fabricii, & Cn. Scipionis, ac Manii Curii Filias, quòd ob tenuem rem familiarem pro natalibus nubere non poſſent, de publico dotaſſe: ſicut Athenienſes Ariſtidis filias ob modicas facultates, ære collato, connubio locarunt. *Alex. l. 4. c. 3.*

Velpus junior, Fr. Henrici Leonis, qui habuit patrem Velpum ſeniorem, & matrem filiam Magni Ducis Saxoniæ, reliquit Bavariam Henrico fratri, & concedens in Italiam, conjugem accepit Mathildam Comitiſſam, potentem per Lombardiam feminam, non ducis Mediolani (ut ſomniant nonnulli) ſed Egberti Marchionis Saxoniæ filiam, magis ob virtutem, & amplitudinem patrimonii, quod in Lombardia te- E nebat, quàm ſpe liberorum. *Crantz. l. 5. Saxon. c. 35.*

Indotatæ.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Matrimonium arbitrio viri initum, precio, & emptione. Item Tit. Coitus nuptialis: quatenus proſtitutione dotem comparare coguntur.*

Virgo quædam Spartana paupercula, roganti quam ſponſo dotem eſſet allatura? Pudicitiam, inquit, à majoribus traditam. *Plut. in Apopht. Lacænarum.* Sic *Horat. in Odis.*

Dos eſt magna parentum virtus,
Et metuens alterius thori,
Certo fœdere caſtitas.

Dignitatis. Dignitate *Pares. Magni inter ſe.*

Emmanuelis Luſitaniæ Regis F. Iſabella, quæ poſteà Carolo V. Imp. nupſit, fuit eximia pulchritudine, magniſque virtutibus ornata; ad maximi ſtatus amplitudinem ſemper aſpiravit, adeò ut conſtantiſſimè affirmaret ſe, niſi maximo Reipublicæ Chriſtianæ Principi, nulla conditione nupturam. F *Oſor. l. 3. rerum Em.*

Diſpares. Magni cum Parvis.

Plejades ſeptem, Atlantis, & Plejones filiæ, Diis nupſerunt. Sterope Marti, Neptuno Alcyone, Celeno Maja, Electra, & Taygere Jovi. Merope ſola Siſypho mortali nupſit. Eapropter mutatæ in ſidera, cùm Orion venator illas proſequeretur, in dorſum Tauri translatæ, ſex quidem illuſtres conſpiciuntur:

Septima mortali Merope quia nupſit, idipſum
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.

inquit *Ovid. l. 4. Faſtorum.*

Pheron Seſoſtris F. Ægyptius Rex, luminibus orbatus, cùm circiter decennium cæcitati remedia fruſtrà quæſiſſet, tandem oraculo monitus eſt, ut oculos mulieris urina lavaret, quæ alium quàm virum ſuum non agnoviſſet. Quamobrem à regina incipiens, permultas Ægyptias mulieres expertus, nullum medium invenit, niſi per olitoris cujuſdam uxoris urinam, quæ ſola caſta inventa fuit. Quam etiam occiſis reliquis omnibus in uxorem duxit. *Herod. l. 2.*

Fur quidam theſauri Regis Ægypti Rampſiniti, ob aſtutiam ſuam, qua uſus fuit tum in theſauro regio ſpoliando, G tum in eludenda filia regis, cui fratris abſciſſam manum pro ſua porrexit, & vitæ impunitate donatus, regis filiam uxorem accepit. *Herod. l. 2.*

Pſammetichus Ægypti Rex, meretricem Rhodopem omnium formoſiſſimam uxorem duxit. ☞ *Vide ſuprà.*

Aſpaſia Hermotimi Phocenſis pauperis filia, propter pudicitiam, & formam primùm à Cyro, deinde à fratre ejus Artaxerxe in uxorem accepta fuit. *Ælian. 12. Var. hiſt.*

Antiochus, Magnus cognomento, quem debellarunt Romani, velut narrat *Polybius l. 20.* cùm in Chalcidem Eubœæ perveniſſet, nuptias contraxit, quamvis ageret annum quinquageſimum, duoque maximè egregia facinora perpetraſſet, Græcos ſcilicet in libertatem vindicaſſet, bellumque contra Romanos abſolviſſet. Eo enim tempore, quo bellum gerebat, cùm virginem Chaldaicam adamaſſet, eam ſibi nubere ſtuduit, cùm vini eſſet bibax ebrietatique deditus. Erat autem ea filia Cleoptolemi, unius virorum illuſtrium, quæ cæteras omnes pulchritudine antecellebat. Cùm nuptias igitur feciſſet in Chalcide, ibi hyemem abſumpſit, nulla rerum inſtantium cura habita. Impoſuit ipſi præterea puellæ nomen Eu- H bœam. Bello victus, cum nova nupta aufugit Epheſum. *Athen. l. 10. cap. 12.*

Hermocrates Antipatri filiam duxit. ☞ *Vide paulò antè, uxores formoſæ ductæ.*

Vidua Alexii Græcor. Imp. nupſit exoleto cuidam Griſoni poſteà dicto Emmanueli, repudiata omni procerum nobilitate. *Sab. l. 7. Dec. 1.*

Conſtantin. Imp. Romano filio ſuo Anaſtaſiam puellam ſordidi generis (ex cauponibus enim nata putabatur) ſed forma præditam elegantiſſima, ac naturæ miraculum quoddam, dedit uxorem, cujus nomen in Theophanonem eſt mutatum. *Zonar. tom. 3.*

Andronicus viduus non auſus regias ambire nuptias, quòd è ſecunda uxore Imperii ſucceſſores non procreaturus eſſet, Irenem Marchioniſſam, Regis Hiſpaniæ neptem, bonus bonam non genere minùs quàm moribus, uxorem duxit. *Pachymerius.*

Edovar-

Edovardus IV. Anglorum Rex, Ricardum Varvici Co-
A mitem in Gallias legavit, qui puellam, nomine Bonam, Carlottæ reginæ Franciæ ſororem, ac Ludovici Ducis Sabaudienſium filiam, ſibi uxorem peteret. Dum comes in Galliam profectus, de nova affinitate agit, Edovardus mutato repentè conſilio, Elizabetham, Richardi Riverii Comitis filiam, quæ olim nupta fuerat Janni Grajo equiti, in matrimonium duxit, omnibus non modò neceſſariis principibus, verùm etiam Ricardo patre mulieris ignaro. Et hinc initium profectum eſt ſimultatis poſteà ortæ inter Edovardum, & Varvicenſem. *Polyd. lib.*24.

Catharina, Caroli VI. Gallorum Regis F. Henrici V. Anglorum Regis uxor. Henr. VI. mater mortuo viro, cùm id ætatis puella eſſet, ut minus ſciret animo decernere, quid deceret, occultè nupſit cuidam Ovino Tyderio, homini Uvallo nobili genere, ac multis virtutibus mirabili, qui genus ſuum ad Cadovalladrum ultimum Britannorum Regem referebat, ex quo genuit tres filios, Edmundum, Gaſparem, & tertium, monachum Benedictinum. Henricus VI. Rex Edmundum Richemundiæ, & Gaſparem Penbruchi Comites fecit, quòd ex matre Catharina ſibi fratres eſſent.
B Ovinus verò poſt Catharinæ mortem, juſſu ducis Glocestrenſis, bis in carcerem conjectus eſt, quòd auſus fuiſſet per Catharinæ puellæ connubium miſcere ſanguinem ſuum cum regum ſtirpe nobiliſſima, & ad ultimum ſecuri percuſſus. Edmundus ex Margarita filia Joannis ducis Somerſeti ſuſtulit filium nomine Henricum, qui regnum adeptus, ſeptimus Henricus eſt dictus. *Polyd. lib.*13.

Comiola Toringa, dives vidua, Rolandum Petri Regis Siciliæ fratrem ſpurium è carceribus liberavit, & pro marito ſuſcepit. ☞ *Vide paulo antè, Sponſi repudiati.*

Petrus Aragonum Rex XI. Maria Navarrea, & Leonora Caſtellana uxoribus mortuis, & liberis inde ſuſceptis, jam ſenio confectus, amore cujuſdam viduæ perditus, hominis admodum pauperis filiæ, quæ Sybilla Forciana vocabatur, propterea quòd in oppido Forcia in Ampuriarum provincia nata fuerat, eam duxit uxorem (quæ filiam ei peperit unicam Iſabellam) eidemque omnibus in rebus indulgens, à ſe multos ob res malè geſtas alienat, & Joannem filium primogenitum abdicare conatus eſt, niſi nobiles, populique reclamaſſent. Ampuriarum Comitem, generum ſuum, multis bonis, & honoribus privavit: ac Joannam filiam, pro Comite marito
C ſuo intercedentem, Barcinonæ coram plurimis nobilibus aperta manu percuſſit in faciem. Quæ domum ſuam revertens, paucis diebus obiit ex mœrore. *Marineus lib.*11. *rerum Hiſpanicarum.*

Marchio Saluciarum, ut nobilium, & potentum faſtidia fugeret, porcariam puellam, quam in ſylvis venationi dans operam repererat, matrimonio ſibi conjunxit: cujus vita omnes illuſtres feminas inferiores ſe fore monſtravit. *Æneas Sylv.l.*1. *Epiſt.*45.

Uladislaus Jagello, Poloniæ Rex, tertiam uxorem duxit Elizabetham Pileciam Othonis Palatini Sendomirenſis F. viduam provectæ ætatis. Quæ virgo propter magnitudinem dotis à Maravo quodam rapta, eique aliquanto poſt ab alio quodam Maravo erepta, & interfecto priori raptore, loco juſtæ uxoris habita, ad extremum Vincentio Granovio Caſtellano Naclenſi nupſerat. Sive autem intempeſtivo amore, & conſuetudine ejus mulieris captus, ſive philtris etiam, & magicis artibus dementatus Uladislaus, eo ſe tam impari matrimonio implicavit, magnam certè nomini ſuo infamiam non modò apud ſuos, verùm etiam apud exte-
D ros aſperſit: ita ut Concilium quoque Conſtantienſe ea fama, traducentibus Cruciferis, impleret. Huc acceſſit, quod Chriſtianorum inſtitutis inceſtum id erat conjujugium, cùm illa regi in loco ſororis eſſet, propterea, quòd is à matre ejus de ſacro fonte levatus erat. Sed inſtante rege, concilium legitimas eſſe juſſit eas nuptias. *Crom.*18.

Petrus Medices, ejectus Florentia, & tempeſtate demum ſubmerſus in oſtio Liris, filium habuit Laurentium. Is in matrimonium duxit è familia Bolanica Gallam, ex eaque ſuſcepit Catharinam, quæ Clementis VII. opera Henrico, Franciſci Gallorum Regis F. Maſſiliæ nupſit, anno Salutis 1533. Quin ad ſtatus Italiæ mutationem hæc affinitas pertineret, nemo ferè dubitabat, & mirabantur plerique diſparitatem conjugii: ſed & Clementem ſubdubitaſſe, neque priùs crediſſe ferunt rem agi ſeriò, quàm in complexus illi veniſſent. Filius ejus nothus Alexander, Caroli V. Cæſaris filia notha in uxorem ducta Florentinorum conſecutus eſt principatum. Ea affinitas uti ambitioſius expetita, Caroli V. Cæſar. animum vehementer commovit, varioſque inter homi-
E nes ſermones excitavit. Nam quanquam Henrico materno oppida in Arvernis, atq; item centum millia aureorum nummorum cum unionibus, multiſque gemmis, & precioſa thori ſupellectile, conjugalis mundi nomine affluenter acceſſiſſent, nihil tamen exæquari videbatur nonnullis dotem ſimul, & novæ nuptæ natales obliquo ſermone elevantibus, qui Pontificem maximè ſuſpectum Cæſarianis reddere contendebant. Unde & illud falsè dictum Philippi Strozzæ legati apud regem in vulgus emanarat, qui Regiis quæſtoribus, cùm illi repræſentata dotis pecunia ſolveretur, admodùm exiguam eam dotem eſſe pro regiæ domus fortuna dictantibus reſponderat, ſe plurimùm mirari, quòd ea dignitate homines nequaquam arcani regii participes viderentur, poſtquam neſcirent, Pontificem inſigni chirographo tres inæſtimabilis precii gemmas, quarum inſana cupiditate maximi reges deflagrarent, in ſupplementa dotalia promiſiſſe. Illis verò læto vultu, quænam eſſent, requirentibus, quod è ſacra tiara detractas iri putarent, arridens ſubjunxerat, apud peritos rerum eas fore Genuam, Mediolanum, atque Neapolim. Quæ res, ſicuti riſum movere potuit, ita & mox apud Cæſarianos ſubamaræ ſuſpicio- F
nis aculeos reliquit. *Jov.l.*31. *Hiſt.*

NOBILITATIS, GENERIS.
Conjuges Nobilitate
Pares.

M. Cato Cenſorius uxorem nobiliorem quàm opulentiorem duxit: exiſtimans æquè utraſque eſſe elatas, & ſuperciliosas, verùm turpitudinis rubore obſequentiores viris ad honeſta generoſas. *Plut. in Catone.*

Diſpares.

Faeia, Fabii Ambuſti F. Licinio Stoloni illuſtri quidem viro, ſed plebejo, nupta. *Sab.l.*2.*En.*4.

Heliæ Protoſpatharii Uxor, cujus opera Juſtiniani II. Imp. exercitus ad Philippicum defecerat, ab ipſo Juſtiniano Conſtantinopoli occupata, & interfectis Heliæ filiis in ſinu matris coquo Indo per ignominiam nubere coacta fuit. *Cuſp.*

Edarlicus, Boemorum Dux, qui Polonos Boemia ejecit, reverſus ex venatione, vidiſſe narratur puellam in villa qua- G
dam, juxta puteum veſtimenta lavantem, nomine Bozzenam (quod Beatricem interpretantur) elegantem forma, & moribus. Captus ejus ſpecie, & alloquio, quamvis amici adverſarentur, conjugem accepit. Bixetislaus ex ea natus. *Æneas Sylv. in hiſt. Boem.*

Albertus, Erneſti F. Bavariæ Dux puellam balnei cuſtodem tam perditè amavit, ut eam quoque juſtæ uxoris loco habiturus fuerit, niſi pater id metuens eam in Danubio mergendam curaſſet. Cùm diù vitam mœrens exegiſſet, tandem luctu peracto, uxorem de domo Brunſuicenſi duxit, eaque ſobolem pulcherrimam ſuſtulit. Sub imperio Friderici podagra laborans, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus muſicam aſſiduis cantibus, ac ſonis animum oblectavit, interdum & venationi operam dedit. *Aen. Sylv. c.*41. *Europæ.*

De hoſpite quodam meo Lovanii, natione Phryſio, ſæpè audivi, inquit *L. Vives*, cùm narraret mihi, fuiſſe in ſua civitate Virum genere, & divitiis facilè primum, qui ratus facilem ſe, ac jucundam acturum vitam, ſi uxorem accepiſſet multo inferiorem, quàm ipſe eſſet: duxit pauperem, ignobilem, & forma minus, ut in genere illa, quàm mediocri: ſunt H
enim in illis regionibus formaſiſſima hominum corpora. Hæc tamen ſordidè, atque imprudenter ſub ſordidis parentibus inſtituta munia omnia domeſtica averſabatur, etiam mariti tuniculas vel attingere, vel aſpicere dedignans. Ea mortua, pertæſus morum ſpurcæ, ac turpis educationis, parem ſibi adjunxit, adoleſcentulam bene nata, divitem, & inſigni forma faciei. Hæc non ſecus marito miniſtravit, quàm ſi empta in domum veniſſet, non coacta, non fictè: ſed libens, & alacris bona fide: illa maritum induere, illa exuere, calceare, excalciare, extergere, mundare: & in frequenti familia neminem patiebatur curare; quæ ad mariti corpus pertinerent, præter ſe unam: illa veſtes reſarcire ſolita, lavare, complicare, componere, & reliqua animo agere prompto, ac lætiſſimo, quæ famulæ interdum gravarentur. *L. Vives de Officio Mariti.*

LIBER-

LIBERTATIS, SERVITUTIS.

A Si quis Iſraelitarum ſervam aliquam ducere in animo haberet, eam in domum ſuam introducebat, ipſa caput ſuum tondebat, ungues ſecabat, veſtem ſervilem exuebat, & domi manens, menſtrua die ſuos parentes plorabat. Ita demum cum ea congreſſus, eam ſibi maritare poterat. Quòd ſi ejus tædio affectus eſſet, eam ſui juris liberam dimittere cogebatur, *Deuter.* 21.

Lex Julia apud Rom. quamvis libertinarum conjugia priori conſtitutione admiſerit, tamen poſteà eadem lex libertinas ſenatorio viro admiſceri gravi pœna interdixit. *Alexand. lib.*4. *cap.*22.

Claudius Cæſar adeò liberarum Mulierum, quæ ſervis nubunt, conjugium odio proſequutus fuit, ut præter legem ingenuitatis, præterque inſtituta majorum, filios inde genitos, non ingenuæ conditionis, ſed libertinos eſſe, juraque libertinorum nanciſci, & ingenuitatem amittere, lege ſanciverit. *Alex.l.*4.*c.*22.

Vespasianus Imper. auctor ſenatui fuit ſanciendæ legis, ut Mulier, quæ ſe alieno ſervo junxiſſet, ancilla haberetur.
B *Sab.l.*3.*Enn.*7.

Apud Danos lege Frothonis III. Regis libertas data mulieribus ampliſſima nubendi. Sed ſi libera ſervum duxiſſet: mariti conditionem ſequi cogebatur. *Saxo l.*5.

Apud Holſatos lex fuit, ut nobilis nobilem, liber liberam, ſervus ſervam duceret, & ſecus faciens vitam amitteret. *Joan. Peterſius in Chron. Holſatiæ.*

Licet Turcis quatuor ſimul habere uxores de ſua cognatione, ne ea deficiat, & cum illis facere divortium bis terque, ac earum loco alias ducere, vel priores recipere, emptitias verò, & captivas tot habere, quot libuerit, eaſque ipſas vendere: excepto, quòd, ſi qua gravida à Domino facta fuerit, illam non ampliùs ſervitute obligari. *Polyd.l.*7. *de Rer. invent.*

Solymanus, Imperat. Turcarum, Roſſam ſervam in matrimonium duxit, miris ejus technis, & illecebris dementatus. Cùm enim Roſſa conſtituiſſet templum cum Xenodochio in honorem Dei, & Mahometi extruere: ſed quòd ſerva eſſet, à Mupleto ſacerdote prohiberetur: cibo, potuque abſtinere, ſortemque ſuam deteſtari cœpit. Solymannus incredibili amore eam proſequens diplomate miſſo liberam eſſe voluit, juſſit & eam, quæ pellex ejus hactenus fuerat, conjugem ſuam
C dici. *Aſcanius Centorius lib.*7. *Combellorum Tranſylv.*

GRADUS COGNATIONIS, ET AFFINITATIS.
In genere.

Moyses moderaturus nuptiis Iſraelitarum ſtatuit, ne quiſque primo vel altero cognationis gradu propinquam duceret uxorem, ut ipſa neceſſitudo libidine concumbendi non turparetur, quem ethnici eo modo inquinabant.

Sic natura Hominum comparatum eſt, ut quod quiſque plus amet, hoc magis ſuum eſſe velit, & quidem totum ſuum, nec cum aliis communicari. Itaque non diù tulit natura promiſcuos rerum uſus. Quia tamen amicitiarum, ac bonorum ratio diſſimilis eſt, quòd hæc minuuntur, quando pluribus communicantur: amicitia verò quaſi lumen eò magis lucet, quò plures ea fruuntur: propterea fratres ſororibus, parentes liberis matrimonio jungi natura vetuit, vel potiùs lex omnium gentium communis, ut domeſtica ſocietas in civilem, & amicitia, quæ iiſdem tectis concludebatur, in finitimos omnes
D longè latèque propagaretur: quemadmodum ſcribit *Aug.*

Solonis legibus ſancitum eſt, ut orbæ puellæ, qui ſunt genere proximi apud Athenienſes, nubant, utque ſi maritus ad rationem veneream minus potens foret, mariti propinquus illius uxorem nanciſcatur. *Alex. ab Alex.l.*1.*c.*24.

Apud Romanos licèt cum affinibus, cum quibus ſumma erat neceſſitudo, conjugalem iniri copulam eſſet lege vetitum, ea de cauſa, ut novos affines agnationibus familiarum, multaſque propinquitates, & clientelas mutuis affinitatibus ſibi aſciſcerent cognationis jure (*teſte Plut. in q. Rom.*) tamen cum ſobrinis, aut defunctæ uxoris ſorore, vel mortui fratris uxore copulari non vetabatur: Ex deſcendentibus verò ad neptes uſque, conjugia Romani vetuere, id quod etiam plebiſcito cautum fuit. *Alex.l.*1.*c.*24.

Fabianus Pp. teſte Gratiano, præter illos duos gradus, primum, & ſecundum per Moyſen prohibitos, primus tertio, & quarto noſtris interdixit, quo deinceps nemini fas eſſet mulierem affinitate conjunctam citrà quintum gradum vinculo ſibi conjungali ſociare, propterea, quòd eſt neſcio quid natu-
E ralis verecundiæ nobis innatum, quo facilè abhorreamus ab ejuſmodi propinquorum colligatione, corporum commiſcendorum cauſa. At Julius deinde, ut populo Chriſtiano arctiores paulatim morum limites poneret, prohibuit, ne uſque ad ſeptimum gradum matrimonia contraherent: quod & D. Gregor. comprobavit. Ad extremum verò cùm iſtiuſmodi patrum ſeveritas efficeret, ut in ſua jam quiſque civitate minus connubium ſibi inveniret, cogereturque per hoc aut à finitimis petere, aut illis dare, unde hæreditas ſæpènumero diſtraheretur: Innocent. III. Fabiani decretum jam pridem antiquatum revocans, ſtatuit, ut cunctis dein in perpetuum liceret eas in matrimonium ducere, quæ neque cognationis, neque affinitatis gradu primo, altero, tertio & quarto ipſos attingerent: quod hodie ſervatur. Extat id decretum *in lib. Decretal. ep.*4.*c.* non debet. *Polyd.l.*5.*c.*5. *de Invent.*

Apud Braſilienſes neque filias parentibus, neque ſorores fratribus collocari licet: reliquas mulieres ſine ullo diſcrimine ſibi matrimonio conjungunt: quas offenſione interpoſita deſerunt. In adulterio autem deprehenſas vel occidunt, vel tanquam ſervas vendunt. *Oſor.l.*2. *rer. Emm.*
F
☞ *Vide ſuprà. Locum de affinitate, & de Cognatione.*

Pater, Filiæ.

Apud nonnullas Indorum gentes, Arabes, Perſas, Mauroſque, qui juxta Bactrianos ſunt, ac Magos, & Babylonios (quorum hoc inſtitutum fuit: cum quibus Chryſippus ſentire viſus eſt) filiis matres ducere uxores, & cum parentibus ſtupro coire, atque ex eis ſobolem gignere paſſim licuit, idque etiam conjugium nullis fuit legibus vetitum. *Alexan. lib.*1.*c.*24.

Artaxerxes Perſarum Rex Atoſſam, atque Ameſtrim filias juſtarum uxorum loco habuit. *Alex. lib.*1.*c.*24.

Novercæ, Privigni.

Antiochus, Seleuci Babyloniæ, & Aſiæ Regis F. Stratonicen novercam ſolenni patris conſenſu duxit: conciliatione Eraſiſtri medici: qui videbat eum ex amore Stratonices extremè laborare. *Plut. in Demetrio, & Sab. lib.*6. *En.*4. *& Val. Max.l.*5.*c.*7. qui à quibuſdam hoc non Eraſiſtrato, ſed Lep- G
tini mathematico tribui teſtatur.

Antonius Caracalla Imp. præter inſtituta majorum, novercam Juliam uxorem duxit, nuptiaſque inceſto primus polluit: cauſatus principi, quodcunque liberet, impunè licere. *Alex. l.*1.*cap.*24.

Cadualdus Rex Cantuariorum, Edelberti F. qui primus Eccleſiæ in Anglia hoſpitium dederat, novercam ſuam uxorem duxit. Eoque ſcelere occaſionem dedit ſuis ſubditis ad gentilium ſuperſtitiones redeundi. *Beda Eccleſiaſt. hiſt. l.*2.*c.* 5. *&* 6.

Fratres, Sorores.

Jam inde è principio orbis, cœpere Fratres, & Sorores inter ſe matrimonio jungi, cùm non haberent remotiorem propinquitatem, cum qua copularentur. Unde contigit, ut Adam unus homo, ſimul pater, ſimul ſocer eſſet: & Eva ejus uxor ſimiliter utrique liberorum ſexui, & mater, & ſocrus. Duravit uſque eò hæc apud Hebræos conjugii ratio, dum paulatim charitas effecit, ut homines, quibus cordi eſſet concordia diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, ne unus H
in una multas haberet, ſed ſingulæ diffunderentur in ſingulos, ſic ad ſocietatem vitæ ſtudioſiùs conciliandam, plurimæ neceſſitudines plurimos complecterentur. Hinc ad conſobrinas, & neptes, ad aliaſque minus propinquas tranſitum eſt. *Polyd. l.*5.*c.*1. *de inven.*

Saturnus Ægyptius (Chameſenus, & Chamus in ſacris) ſororem Rheam duxit in uxorem, ex qua Oſiridem, & Iſidem genuiſſe dicitur. *Diod.l.*1.*c.*2.

Ægyptii præter communem cæterorum hominum morem lege ſanxere, ſas eſſe ſororem à fratre uxorem capi, exemplo Iſidis reginæ de ipſis optimè meritæ moti, quæ fratri Oſiridi nupſiſſet. *Diod.l.*1.*c.*2.

Cambyses Perſarum Rex, duas ſorores, cùm deſiderium ferre non poſſet, & Darius Statyram iiſdem genitam parentibus, connubio ſibi devinxere. *Herod.*

Ariſtophanis interpres Athenienſium legibus permiſſum ſcribit, ſorores ex patre in matrimonium ducere. Et Æmylius

Probus

Probus Cimoni Miltiadis F. ducta ſorore Elpinice, id turpe A fuiſſe negat. Verùm graviores auctores reclamant.

Hercatonmus, Cariæ Rex, tres habuit filios, Mauſolum, Idryeum, & Pyxodorum, & filias duas: è quibus Artemiſia grandior, Mauſolo ex fratribus grandiori nupſit. *Strab.*

Ptolemæus Ægypti Rex, ut ſororis conjugium ſortiretur, & notam turpitudinis nefariæ velamento matrimonii obnubilaret, omnibus id permitti voluit.

Ptolemæus Ceraunus, Macedonum Rex, Arſinoen ſororem duxit, & Olympias, Pyrrhi Epirotæ filia, fratris conjugio potita fuit.

Monobazus, Adiabenorum Rex, ex ſorore Helena Izatem F. ſuſtulit, qui poſteà cum matre religionem Judæorum amplexus eſt. *Joſeph.l.20.c.2. Antiq.*

Patres, Avunculi, Nepotes, Neptes.

Abraham Saram ex Aram fratre neptem in matrimonium duxit: ſic Jacob Liam, & Rachel filias Laban avunculi: ſic alii alias, *teſte Auguſt.de Civ.Dei, l.*11. Nempe ne propaginum ordinibus ſe ſenſim dirimens conſanguinitas longius abi- B ret, & propinquitas eſſe deſineret, nondum procul locatam rurſum matrimonii vinculo colligere, & quodammodo revocare fugientem ſtudebant, quòd per id in una familia vel tribus opes in perpetuum remanerent. Ac ideò de ſuo genere virorum, & feminarum paria jungi voluit Moyſes in libro Num. dicens: Omnes viri ducant uxores de tribu, & cognatione ſua & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipiant, ut hæreditas permaneat in familiis. *Polyd.l.5.cap.5.de Invent.*

Joſephus, Judæorum Princeps, Solymii fratris filiam in uxorem duxit, & ex ea Hircanum II. progenuit. *Joſeph.l.12. cap.4.Antiq.*

Fratris filiam ducere uxorem apud Græcos licuit. Namque Alexandrides ſororis filiam ſponſam duxit: ex qua Doryeum, Leonidem, & Cleombrotum genuit. Quod ſuccedenti ævo à Nerva fuit ſevera conſtitutione inhibitum. *Alex.*

Plutarch.in quæſt. Roman. olim neceſſarias ducere prohibitum fuiſſe Rom. ſcribit, quo ad lex eſt lata, licere vel patruum avunculum fratris, ſororiſve filiam ducere: propter virum quendam bonum, & acceptum popularibus tenui cenſu, qui fratris ſui filiam nubilem, & dotatam ipſe ſibi in matrimonium acceperat, reuſque ejuſce criminis factus, pro concione abſo- C lutus eſt, lege ibidem lata, & magno conſenſu approbata.

Claudius Cæsar, illecebris Agrippinæ, Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi, & blanditiarum occaſiones pellectus in amorem, ſubornavit proximo Senatu, qui cenſerent cogendum ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi Reipublicæ maximè intereſſet: dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur. Ac vix uno interpoſito die, confecit nuptias, non repertis, qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cujus officium nuptiarum & ipſe cum Agrippina celebravit. *Suet.*

Domitianus Imper. Fr. Titi filiam Juliam, adhuc virginem, oblatam ſibi uxorem, cùm devinctus Domitiæ nuptiis pertinaciſſimè recuſaſſet, alteri collocatam corrupit, etiam vivo patre. Mox patre, ac marito orbatam ardentiſſimè dilexit, coegitque abortum facere, ex quo vidua periit. *Cuſpin.*

Patrueles, Conſobrini.

Apud Rom. ſobrini filiam uxorem ducere nullæ leges vetuere. P. Scipio enim Naſica Africani majorem filiam, nullo D prohibente jure, ſibi deſponſavit: quod alii frequentes factitarunt. *Alex.l.1 c.24.*

M. Brutus Porciam ſobrinam nulla prohibente lege deſponſavit. *Alex.l.1.c.24.*

Heraclius Imp. nuptias cum conſobrinis lege confirmavit. *Cuſp.in Heraclio.*

Conſanguinei, Cognati reliqui.

Maugerius Rhotomagi Archiepiſcopus, Gulielmum Angliæ regem, cum conjuge Mathilde, ab Eccleſiæ conſortio removit: quòd in matrimonio contrahendo nulla ſanguinis habita eſſet ratio. Erant enim genere propinqui. *Polydor.l.9. hiſt.Angl.*

Indulgentia Rom. Pp. Paſchalis II. Boleslaus Poloniæ Rex Michaelis Kiovienſium principis filiam uxorem duxit, ne propter intercedentem cognationem inceſtæ eæ eſſent nuptiæ. *Chron.l.5.*

Otho IV. Philippi æmuli ſui Bambergæ cæſi filiam, ſuaſu principum, quamvis conſanguineam, indulgentia Pontificis E in uxorem duxit, CCCL. arces cum prædiis in dotem afferente. *Crantz.l.7.Saxon.c.31.*

Ferdinandus II. Aragonius, Rex Neapolitanus, recuperato regno, ut res ſuas arctiore cum Hiſpaniæ Rege Ferdinando vinculo ſtabiliret, uxorem, impetrata à Pontifice Alexandro VI. venia, amitam ſuam Joannam avi ſui, & Joannæ ejuſdem regis ſororis filiam, duxit. *Guicciardin.l.2.& Bemb.l.3. Hiſtoriarum.*

Joannes Dux Magnopolenſis, circa anno Salutis 1416. conjugem accepit Catharinam, germanam ſororem Erici ducis inferioris Saxoniæ, ſe tertio conſanguinitatis gradu contingentem. Quocirca diù ſubjectus fuit excommunicationi. Demùm Martini V. diſpenſatione conjugem retinuit. *Crantz.lib.10. Vandaliæ, cap.25.*

Affines.

Iſraelitis legem hanc divino juſſu Moyſes dedit: Si fratrum contubernalium alter mortuus fuerit ſine liberis, defuncti uxor alieno ne nubito. Levir cum eo convenito eamque in ma- F trimonium leviri jure ducito: quemque illa primogenitum edidit, is in defuncti fratris nomen concedito, ne illius nomen ex Iſraelitis deleatur. Quòd ſi homo nolit ſuam glorem ducere, glos in curiam ad ſenatores ſe recipito, & demonſtrato levirum ſuum nolle ſuo ipſius fratri nomen in Iſraelitis ſuſcitare: id eſt, nolle ſe leviri jure ducere. Tum cives illius ſenatores eum evocanto, atque alloquuntur: qui ſi præſens negaverit ſe velle eam ducere, tum glos ad eum accedito, in præſentia ſenatorum, eique calcem de pede detrahito, & ejus faciem conſpuito, ita dicens: Sic fit homini, qui fratris ſui domum ſobole non inſtruit. Atque illius apud Iſraelitas ejuſmodi nomen eſto, ut ejus domus dicatur Diſcalceati. *Deut.25.*

Booz, Elimelech gentilis, in matrimonium duxit Ruth conſanguineam. *Ruth.c.3.& 4.*

Eſt ex quadam honeſtate à Gregorio, & poſt eum ab Alexandro III. ſtatutum, ne ſponſam fratris relictam. Frater in matrimonio haberet, ne Hebræorum videretur imitatio: apud quos ut frater fratris ſine liberis mortui uxorem duceret, ſobolis ſuſcipiendæ, atque perpetuandæ cauſa fas erat. *Polyd. l.5. de Invent.* G

Attalus Aſiæ Rex, cùm falſus rumor increbuiſſet, Eumenem fratrem morte ſublatum eſſe, protinus illius conjugem unà cum regno ſibi vindicavit. At Eumene ſuperſtite, uxorem illi ſimul, & regnum reſtituit. *Alex.ab Alex.l.1.c.4.*

Cæcilius Metellus, uxore defuncta, illius ſororem deſponſam tulit.

M. Craſſus ex defuncti fratris uxore filios propagavit. *Plut.in Craſſo.*

Emmanuel Luſitaniæ Rex, Iſabellam, Ferdinandi Hiſpaniæ Regis F. in puerperio amiſerat. Michaele F. biennio poſt mortuo. Ferdinandus ergo, & Iſabella, ut nova affinitate ſibi Emmanuelem devincerent, filiam ſuam Mariam illi collocare ſtudebant. Sed quia matrimonium, propter affinitatem in matrimonio Iſabellæ contractam, per Pontificii juris ſanctiones jungi minimè licebat, à Pont. Max. poſtularunt, ut eos ſolveret legibus, ne religione aliqua poſſet impediri conjunctio, quæ tam multas utilitates erat omnibus Hiſpaniæ regnis allatura. Hac impetrata à Rom. Pont. facultate, nuptiæ celebratæ ſunt. *Oſor.l.2.rer.Emmanuelis.*

Henricus VIII. Anglorum Rex Pontificis permiſſu in uxorem duxit Catharinam, Ferdinandi Hiſpan. Regis F. Arthuri H fratris viduam. Sed eam poſt Thomæ Volſæi Vintonienſis Epiſcopi inſtinctu repudiavit. *Polyd.l.27.*

Patriæ
Ejuſdem.

Conanus Rex Armoricorum ex Britannia, unde fuerant profecti feminas quæſivit. Miſſi Legati obtinuere, ut Britonum qui Armoricæ incolendæ cauſa ad Maximianum tranſmiſerant, filiæ, ſorores, uxores, nepteſque, cum Urſula, Dionethi Regis filia, quam Conanus ad connubium petebat, in Galliam traiicerent. Urſula cœnobio addicta, extracta, vi navim conſcendere eſt coacta, ne Dionethi regis propago deficeret: nam Othilia Maximiani conjux, altera Dionethi filia, abſque liberis dudum fatis conceſſerat. Cæterùm adverſo flatu cùm in Armoricam tenderent, in Rheni oſtia non ſine vitæ diſcrimine pervenere. Ubi feminæ in continentem expoſitæ, quoniam

niam maris ſævitiam perferre nequiverant, in Armoricam ter- A reſtri itinere profecturæ, ſeu Romam (ut alii ſcribunt, Urſula videlicet, cum multis virginibus ſodalibus ſuis, connubia illa religionis cauſa averſante, & proptereà profectionem in Armoricam devitante) ab Hunnis, Attila duce, apud Coloniam Agrippinam pudicitiam tueri conatæ, ad unam ſunt omnes interfectæ. *H. Boeth.l.7.*

Diverſæ, Inter Peregrinos.

Ruth Moabitis peregrina Booz opulentiſſimi dignata conjugio. *Ruth.c.3.& 4.*

Leonidas Rex Spartanus, ex alienigena muliere contra legem (quæ vetat Heraclidem ex muliere alienigena tollere) liberis ſuſceptis, regno pulſus à Lyſandro Ephoro, ſubſtituto ei Cleombroto genero Leonidæ, & ſtirpis regiæ. *Plutarchus in Agide.*

Alexander Macedo devictis Parthis Roxanem barbaram duxit uxorem. *Plut.in ejus vita.*

Picti Septentrionales populi in Albionem inſulam delati, agri partem occupavere, Scotorum ex Hibernia deductæ coloniæ finitimi, anno ab O. C. 4860. Cæterùm, quòd mulieribus carerent, à Scotis connubia petierunt, & impetrarunt. B Quam affinitatem cùm Britanni ſuis rebus minimè commodam fore judicarent, quibuſcunque rationibus poterant labefactare ſunt conati. *H. Boet.l.1.*

Petrus Medices, cùm Laurentio filio Claricem ex Urſina familia Romæ æquè clara, ac potente uxorem dediſſet, viſus aut odiſſe ſuos, aut aſpernari, quos parum dignos ſua neceſſitudine, & affinitate cenſuiſſet, inter alias, & hanc occaſionem inimicis dedit contra ſe conjurandi. *Brutus lib.2. hiſtoriæ Florent.*

Civitatis.

Nuptias olim non jure contractas exiſtimabant, quæ non, aut inter civem Romanum, civemque Romanam ſuſciperentur, aut quibus princeps populuſve civitatem, vel connubium non permiſiſſet. Quo nomine ita concepti, & nati, in patrum nequaquam poteſtate cenſebantur, matreſque ſequebantur potius: quoniam cum eo nuptias inire non caviſſent, cum quo connubii jus foret nullum. Hinc lectum in hiſtoria quandoque eſt, Jus Quiritium feminis eſſe impertitum, hoc eſt, Romanam civitatem permiſſam: juſque connubii, ut ex matrimonio ejuſmodi editi, haberentur legitimi cives Romani. *Cælius l.9.c.22.*

C Tribus.

Iſraelitæ cùm in duodecim tribus diviſi eſſent, Dominus præcepit, ut omnis filia hæres inſtituta, ex quacunque Iſraelitarum tribuum, ſuo arbitratu nuberet, modò alicui tribuli ſuo, ne hereditates ex aliis in alias tribus tranſirent, neque de hæreditatis ſorte, quæ in prima terræ ſanctæ diviſione cuilibet tribui obtigiſſet, aliquid detraheretur. Occaſio hujus legis orta propter filias Salpha Manaſſiæ, quas cùm patri ſuccedere Moyſes juſſiſſet, & illæ aliarum tribuum adoleſcentibus nubere vellent, gentiles earum ob hanc rem conqueſti ſunt, deceſſurum aliquid ſuo patrimonio affirmantes. *Num. 36.*

Beniamitarum nuptias Iſraelitæ ſacramento interpoſito fugerunt. *Jud.21.*

Familiæ.

Heraclidæ ex alienigena muliere liberos tollere prohibiti lege antiqua apud Lacedæmonios. *Plut. in Agide.*

Parentum.

Demagetus Rhodius, Jalyſi Rex, cùm Pythiam interrogaſſet, unde eſſet potiſſimùm uxor ducenda: reſpondit, Ejus D qui vir eſſet Græcorum optimus filiam ut duceret. Ariſtomenis igitur Meſſenii, viri ea tempeſtate fortiſſimi, filiam, natu minimam, uxorem adſcivit, patrem longè eſſe optimum Græcorum ejus ætatis omnium ſtatuens. *Pauſ. in Meſſen.*

QUOMODO. MATRIMONIA
Contracta Vel
Electione libera.

☞ *Conſule Tit. Privilegiorum, & Juris in matrimonio eligendo Tit. de matrimonio.*

Indorum virgines cùm eſſe nubiles cœperint, in publicum à parentibus producuntur. Accurrente (ut aſſolet) multitudine, libera illis datur optio, è juvenum turba virum ſibi ſeligendi, quem virtute aliqua inſigniter præſtantem putent. *Cæl.l.31. A.L.*

Theodoſ. II. Imp. mortuo, & nulla virili prole ab eo relicta, Pulcheria ſoror, ipſius viventis voluntatem, judiciumque ſequuta; ſenatu ipſo conſentiente, Marcianum ad Imperium E evexit, atque eidem mox ſe conjugio copulavit, pacta prius caſtitatis perpetuæ cuſtodia. *Sig.l.13.Imp.occid.*

Frotho III. Danorum Rex, arbitrariam Feminis nubendi poteſtatem indulſit, ne qua thori coactio fieret. Itaque lege cavit, ut eis in matrimonium cederent, quibus inconſulto patre nupſiſſent. Maribus quoque quamcunque primitus cognoviſſent, ducendi legem inflixit. *Saxo l.5.*

Callias Athenienſis, vir clariſſ. & ſummus Piſiſtrati hoſtis Filiabus tribus, poſteàquam nubiles extitere, hoc magnificentiſſimum munus eſt gratificatus: ut quem ſibi unaquæque vellet ex omnibus Athenienſibus, ceu ſponſum deligeret. *Herod.l.6.*

Tarquinia Veſtalis cùm propter donatum Pop. Rom. fundum, campo Martio vicinum, jus nubendi plebiſcito conſecuta eſſet, eo tamen uti noluit. *Plut.in Poblicola.*

Authari Longobardorum Rege veneno ſublato: duces univerſi eò decurrerunt, ut Theodelinda regina, Garibaldi Bajoariorum Regis F. in imperio permaneret, & quem ipſa ſibi maritum è Ducibus Longobardis optaſſet, ille regiam poteſtatem teneret. Illa Agonem, ſive Agilulfum, Taurina- F tium Ducem, Authari propinquitate conjunctum elegit, atque eum pro imperio mox ſibi præſto eſſe ad Laumelium oppidum juſſit. Affuit Agilulfus conſilii reginæ prorſus ignarus. Theodelinda nobile convivium apparavit. Ibi, cùm procedente cœna ſumpto poculo vini partem hauſiſſet, reliquam patrio more propinans præſenti Agilulfo porrexit. Cùm autem Agilulfus accepto poculo reginæ dextram venerabundus cuperet oſculari, tum illa non ſine rubore aliquo renitens, Atqui te, Agilulphe, inquit, non manum, ſed os ſuaviari oportet: ego namque te in thori communionem elegi. *Sigon.l.1.regni Ital.*

Arioaldo, Rege Longobardorum, ſine virili ſtirpe mortuo, Longobardi comitia creando regi habuerunt, ac Gundebergæ reginæ Autharis filiæ mariti regiſque optionem, ut antè, Theodelindæ matri dederunt. Illa Rotharim, Herodum genere, legit, cæteris virtutibus illo loco digniſſimum, verùm hæreſi Ariana infectum. *Sigon.l.2.regni Ital.*

Invitatione, Oblatione
Matrimonii facta à
Sponſa. G

Valentiniano Imperat. ſoror erat Honoria. Quæ clàm fratre, miſſo nuncio, Attilam ex Italia redeuntem, Hunnorum Regem, orat, ſe duceret uxorem. Attilæ licèt gratum eſſet id victori, maximi tamen tum laboris eſſe, tum etiam dedecoris arbitratus eſt, exercitum ſuum jam ab Italia amotum, & tot itineribus laſſum, & qui Pannoniæ jam propior eſſet, quàm Italiæ, unius mulierculæ amore reducere. Itaque miſſo legato ad Valentinianum, Honoriam ſororem cum Imperii parte ſibi depoſcit: quod ni faceret, reverſurum ſe mox in Italiam, & illum univerſo imperio privaturum, ſororeque vi potiturum minatur. Sed domum reverſus neque Valentiniani reſponſum expectans, Mycoltham, Bactrianorum Regis F. duxit, & priori nuptiarum nocte periit. *Nic.Olabus in Attila.*

Socero.

Tib. Graccus, Gracchi F. ſimul, atque ex pueris exceſſit, adeò fuit celebris, ut in collegium augurum virtutis magis H quàm nobilitatis nomine fuerit cooptatus. Oſtendit id Appius Claudius vir conſularis, & cenſorius, & princeps ſenatus, multòque æquales ſuos prudentia antecellens. Nam in cœna augurali Tiberium comiter appellans, nuptias ipſe ei obtulit filiæ. Quam conditionem cùm ille accepiſſet lætè, mox factis ſponſaliis domum Appius ad ſe ingreſſus vocavit à limine uxorem, altaque voce clamans: Claudiam noſtram, inquit, ô Antiſtia, viro deſpondi. Illa obſtupeſcens: Quid feſtinato, aut properato, inquit, opus erat: an Tiberium Gracchum ei ſponſum inveniſti? Alii ad patrem hoc Gracchorum Tiberium, & Scipionem referunt Africanum, qui Tiberio patri Corneliam deſponderit. Verùm plerique ſcriptores, & Polybius, poſt Scipionis Africani fata neceſſarios ejus ajunt, omnibus prælato Tiberio, collocaſſe Corneliam, ut à parente nulli elocatam, vel pactam. *Plut.in Gracchis.*

Beremundus, Thuriſmundi filius, ex Amalorum familia natus, ex Scythia in Galliam ad Regem Veſtgothorum Theodericum

dericum, Valliæ ſucceſſorem, contenderat, atque ab eo honorificè exceptus, filium Vitericum reliquerat, ex quo Eutharicus erat natus, in quo mira ætatis, prudentiæ, ac pulchritudinis ſpecies elucebat. Quod ubi Theodericus Oſtrogothorum Rex in Italia audiit, magnoperè lætus eum ad ſe vocavit, ac juvenis indole captus, generum ſibi aſcivit, Amaleſuenta filia in matrimonium collocata. Eidemque poſt detulit conſulatum. Ad quem ille inſignibus omnibus regiæ manificentiæ muneribus illuſtrandum ſe præparavit. Anaſtaſius verò, Imp. orientis, ut gratiam à Theodorico iniret, eundem tunica palmata donavit, ac per arma filium adoptavit. *lib.16. Imp. occid.*

Turonenſium, Cenomanenſium, & Andegavenſium Comes, Fulco, ſexagenarius ferè, diſpoſitis rebus domeſticis, ad terram Sanctam religionis ergo iter parabat. Sed dum hoc molitur, Balduini II Hieroſolymitani Regis legati, ſuperveniunt, regis filiam natu maximam ipſi matrimonio jungendam offerunt, dotem ei promittunt, ſucceſſionem in regno ſi regi ſupervixiſſet: interim Tyro, & Ptolemaide urbibus contentus eſſet. *Tyrius.*

In Franciſco Foſcaro, qui poſteà dux Venetorum fuit, ſummum virtutis ſpecimen, ſumma idoles, ingeniique vis eluxit. Non multo antè Foſcara familia revocata ab exilio erat, in quo natus fuerat Franciſcus Foſcarus, re familiari non admodùm grandi. Is cùm adoleſcens Rivolatum de civitatis more ad menſam Priulam, quæ tunc celeberrima in urbe habebatur, frequens adiret, eum intuitus Nicolaus Priulus menſæ præfectus, totiuſque oris ſpecimen admiratus, ſermonemque cum eo frequentiorem conferens, non dubitavit ejus animum attentare, an de uxore ducenda quandoque cogitaret. Cæterùm cùm ille reſpondiſſet, nec rem ſibi ampliorem eſſe, eam ætatem, quæ ſatis eſſe videretur uxori ducendę, liberiſque gignendis: poſtremò conditionem illi obtulit, ſeſe illi ſuam filiam daturum. Quod ille admiratus, illudique ſibi ſuſpicans: Utinam, inquit, dignus eſſem tanta cognationis amplitudine, quæ me & reliquam familiam in primis honeſtaret. Atqui non multis poſt diebus, amicis, affinibuſque advocatis, totiuſque rei conſilio patefacto, filiam Franciſco deſpondit, ſuperaddita dote pro tempore ſatis ampla. Ex qua affinitate celebrior mox factus, ad ſummum inde dignitatis gradum evectus eſt. *Egn.l.3.c.1.*

Subditis.

Venceslaum IV. Boemorum Regem, anno 1300. Poloni in Regem elegere, hac conditione ſi Elizabetham (Rixam aliis dictam) filiam Premiſlai Regis unicam regni hæredem, uxorem duceret. Itaque Gneſnæ à Jacobo Archiepiſc. Rex Poloniæ inauguratus, unctuſque, & coronatus eſt. Ac inde continuò Poſnaniam deflectens, lautiſſimas cum regia puella nuptias conſummavit. *Dubrav.l.18.*

Sorte.

Hermippus narrat in legumlatoribus, quòd obſcurum eſt domicium Lacedæmone: in quo puellæ omnes concludebantur, unà adoleſcentibus etiam uxorem non habentibus incluſis; atque quam quiſque cepiſſet, hanc ſine dote abducebat. Idcircò in Lyſandrum animadverterunt, qui prima relicta, alteram formoſiorem ducere voluit. *Athen.l.13. c.1.*

Emptione, Usu, Conventione in manum.

Apud Indos pari boum ſponſas mercari permittitur, qui cùm in plures dividantur ordines, unius tribus viro alterius ſumere non licet. *Alex.l.4.c.3.*

Valentinianus III. Imp. ætatis annum 19. natus, cùm Eudoxiam Theodoſii II. Imp. Orientis filiam ſibi dari uxorem poſtulaſſet, facilè cedendo parte Illyrici impetravit, teſte Caſſiodoro, Sponſalia magna lætitia Theſſalonicæ ſunt celebrata. *Sig.l.12.Imp.occid.*

Vandali Sivardo Danorum Rege victo, filium ejus Jarmericum prælio captum, cum gemina ſorore abduxere: & quoniam apud veteres venalia fuere conjugia, magno pretio alteram Norvegienſium duci viro primario vendidere, alteram Germano cuidam. Valet hodie ea (ut ferunt) conſuetudo in Dhietmarſis, gente paluſtri, ad exitum Albis fluminis, ut nuptui tradant filias indotatas, ſponſo quantum inter eos convenit annumerante aut pendente iis, qui puellam in poteſtate habuerunt. *Crantz.l.1. Vandaliæ, c.13.*

Vi, Armis.

Constantius, cui jam ab Honorio Imp. promiſſa erat Placidia ſoror, ſi eam liberaret, Alarico primùm, inde Ataulpho regibus nuptam, cum Gothis congreſſus, cum inſigni armatorum copia, Hiſpanias penetravit. Cui Vallia Gothorum Rex occurrit non minori apparatu. Sed miſſis ultrò citroque legatis ita convenere, ut Placidia ſoror Imperatoris redderetur, & ubi exigeret, auxilia ſubminiſtrarent Romanæ Reip. Sed & ultrò Vallia ſe ſocium obtulit belli ad Vandalos ex Hiſpania deiiciendos. Placidia Conſtantio nupſit, Ravennæ factæ ſunt nuptiæ, & Cæſar ac conſors imperii ab Honorio factus, Valentinianum dehinc genuit, qui poſt imperavit, & Honoriam filiam. *Cuſp.*

Berengarius II. mortuo Lothario Rege, Veronæ Rex à populo acclamatus, Adeleidæ Lotharii viduæ (quæ dotis nomine Papiam poſſidebat) conjugium Adelberto F. Regi popoſcit. Mulier, ſive antiquo odio propter injurias ſocero, maritoque ſuo illatas impulſa, ſive ſpe honeſtiorum nuptiarum elata, eam conditionem repudiavit. Berengarius ira inflammatus, exercitu Papiam adducto urbem expugnavit: ac reginam in poteſtatem adductam in caſtro Gardæ ad lacum Benacum diligenti cuſtodiæ tradidit. Illa Martini ſacerdotis ſui ope ex arce profugit; atque illo uno cum pediſſequa comitante, naviculam nacta, ſilentio noctis ad ſylvam quandam acceſſit: ubi cùm per aliquot dies maneret, neceſſitate victum per Martinum ipſum cæteris deſtituta ſubſidiis corrogavit. Demùm in agrum Regienſem profecta, ipſam de Adelardo Epiſcopo commendavit: is ad Athonem avunculum ſuum, qui arcem Canuſſium obtinebat, eam deduxit. Berengarius eam ſibi tradi præcepit. Eo verò imperium abnuente, Canuſſium magna vi obſidere inſtituit. Atho ex Adeleidæ auctoritate Othonem Germaniæ Regem evocavit, qui Canuſſio liberato, Adeleidem ſibi matrimonio copulavit, perfectiſque magna pompa ſponſalibus, Papiam in poteſtatem redactam unà cum regina triumphantis in modum inivit. Berengarius belli fortunam periclitatus, cùm ſe haudquaquam Conrado Othonis genero, Lotharingiæ Duci, quem ad perſequendum bellum in Italia reliquerat, viribus parem ſentiret, arma depoſuit, atque ad Othonem contendit. In conventu principum Auguſtæ nexis cum Adelberto filio manibus, cuncto inſpectante exercitu, regiæ ſe poteſtati, clementiæque permiſit. Receptis in fidem Otho regnum reliquit, marchia Veronenſi, & Forojulienſi excepta, quas Henrico fratri Bavariæ Duci attribuiſſe ſe dixit, *Sig.l.6.regni Ital.*

Certamine.

☞ *Conſule Tit. Rivalium, quatenus pro ſponſis certatur.*

Antæus Iraſſæorum Rex filiam habuit forma præſtantem. Eam nemini, niſi qui curſu reliquos anteverteret, uxorem daturum teſtatus eſt: imitatus Danaum Argivorum Regem, qui octo, & quadraginta filias uno die non diſſimilem ad modum elocavit. *Pindarus Ode 9. Pythiorum.* Quæ conſuetudo ſic elocandi filias tunc uſitata fuit: quemadmodum & in primo Olympiorum hymno de Polydamia filia Oenomai Eleorum regis docet *Pindarus.*

Raptu.

☞ *Vide Tit. Raptorum.*

Sabinarum raptarum à Rom. numerus inter auctores diſcrepat: quidam non ultra triginta fuiſſe tradunt, quæ curiis nomina dedere: nonnulli quingentas, pleriique ſeptem, & viginti, ut *Valer. Antias:* alii ſexcentas, & tres ſupra octoginta. *Alex.l.5.c.26.*

Magia.

Phanias, Portarii Hieroſolymitani principis ſervus, magicis artibus conciliavit ſibi herilem filiam in uxorem, ſe diaboli mancipium interponens: quamvis poſteà à D. Baſilio, & converſus ad Chriſtum, & à Satanæ poteſtate reſtituto chirographo, liberatus ſit. *Marul.l.2.c.12.*

Mahometus pſeudopropheta, Abdemonapli mercatore hero ſuo ſine liberis defuncto, viduam ipſius Iſmaelitici generis Gardigenam, vel Eadigam, quinquagenariam (à qua educatus erat, & nutritus) locupletem admodùm uxorem duxit, juvenis potens, pollenſque carmine, nam magicæ vanitati plurimùm erat deditus. Atque hæc illum ſibi, incantationibus pellecta, maritum delegit. Defuncta conjuge, hæres inſtitutus, & opibus auctus, auctoritate magna quotidie crevit, & legem novam condere cum ſuo magiſtro Sergio, ac ſociis quibuſdam Judæis, potiſſimum quodam Beheira cepit, partim ab Hebræis, partim à Chriſtianis quædam mutando: volumineque quodam ſectæ illius novæ leges omnes conſcripſit, cui nomen eſt *Alcoranus Cuſp. ex Paulo Diac. lib.19. & Vincent. l.22. & Zonaras.*

QUA OCCASIONE.

Virtutis in genere.

Abigail mortuo marito Naabal, à Davide Rege, licèt exule, in matrimonium fuit accepta, prudentiæ, & venuſtatis ergo. ☞ *Vide Tit. Vitæ ſuæ prudenter conſulere.*

Megacles Athenienſis, Alcmæonis F. Solus ex omnibus procis dignus fuit judicatus, cui Cliſthenes Sicyoniorum tyrannus filiam ſuam Agriſtam deſponderet. *Herod.l.6.*

Tiberius Gracchus, Gracchorum pater, cenſor Romæ cùm fuiſſet, & bis conſul, duoſque reportaſſet triumphos, dignitatem quæſivit ex virtute majorem. Nam habitus dignus eſt, ut P. Scipionis, qui Annibalem debellavit, nulla conjunctus neceſſitudine, immò alienus ab eo, filiam Corneliam in matrimonium acciperet poſt illius obitum. *Plut. in Gracchis.*

C. Marius ex prætura Hiſpaniæ ulterioris ad negotia urbana reverſus, neque divitiis, neque eloquentia, quibus illius temporis principes trahebant populum, eſt ſubnixus. Cæterùm quia minaces ejus ſpiritus indefatigati labores, vita popularis grata ad plebem erat, honoribus provectus eſt ad opes ut ſplendidas nuptias conciliaret, atque ex nobili Cæſarum domo Juliam duceret uxorem, amitam Cæſaris, qui Romanorum poſt potentiſſimus fuit, Mariumque ea neceſſitudine eſt æmulatus aliquatenus. *Plut. in Mario.*

Otho Urſeolus, Petri Urſeoli Ducis Venetorum optimi optimus F. patri in ducatu ſuffectus, virtutum ſuarum ſplendore Getiam Pannoniæ Regem ita movit, ut filiam ei ſuam nuptum locaret. *Petrus Marcellus.*

Nigra Patavina, ex antiqua Nigrorum familia ſola ſuperſtes, cùm eſſet dote ampliſſima, & optio ei foret, quem potiſſimùm juvenum, vel ex omni Pat. nobilitate, vel alicunde ſibi in maritum eligeret: elegit Anton. Obicium, illuſtrem virum, Luca Etruriæ urbe oriundum, Florentinorum legatum, qui in equeſtribus ludis, Patavii tum fortè celebratis, dum ibi concurreret, ultra cæteros ei ob ſingularem virtutem, & eximiam formæ præſtantiam, mirè placuiſſe perhibetur. Ex hac muliere orta eſt poſteà præclara Obiciorum Pat. familia in hunc diem Patavii, & viris equeſtris ordinis, & opibus valdè inſignis, & Patavii omnium ferè locupletiſſima. *Bern. Scard.l.3. hiſtor. Pat.*

Sapientiæ.

Pharao Rex Joſeph propter ſomnii interpretationem Putipharæ Heliopolitani Pontificis filiam in matrimonium collocavit, ex qua ille ſuſcepit Manaſſen, & Ephraim. *Gen.41.*

Fortitudinis.

David ducenta præputia Palæſtinorum à ſe cæſorum regi Saul dotis nomine pro filia Michol, quam uxorem ducturus erat, obtulit. 1. *Reg.18. At Joſeph. l.6. Antip. c.11.* ſexcenta capita Palæſtinorum eum reportaſſe inquit.

Othonieli ob fortitudinem Bellicam Axa F. Caleb. data eſt in matrimonium.

Alcathus, Pelopis F. ob interfectum leonem Cithæronium, qui Evippum, Megari regis Megarenſium F. occiderat. Megarei filiam obtinuit. *Pauſ. in Atticis.*

Nuptiarum honos Carmanis, & Sauromatis. ☞ *Vide Tit. Fortitudinis cujuſcunque præmia, & honores.*

Cocchus Salimbenius, Magni Sfortiæ uxoris Antoniæ frater, jampridem Sena patria ejectus, vigente ibi popularium factione, cùm novæ affinitatis præſidio res ſuas, dignitatemque tueri, & confirmare percuperet, unum præcipuè Sfortiam, inter multos ſororis procos, uti bellica virtute inſignem opulentis & imbellibus anteponendum cenſuit. Quo conſilio tranſtulit, & Cluſii ditionem in ipſum Sfortiam, tabulis ritè confectis; ut Senenſibus antiquo jure eam urbem, & agrum repetentibus armatus, & acer defenſor opponeretur. *Jov. in vita Sfortiæ.*

Protectionis, Defenſionis.

Moyſi exuli Ægyptio, quia filias ſuas ſeptem in pecore adaquando contra injuriam paſtorum defenderat, filiam ſuam Sephoram in matrimonium dedit Jethro Madianitanus pontifex. *Exod.2.*

Edgarus, Ethilg D. Eduardi Regis Anglorum nepos, cùm occupato à Gulielmo Normanno Angliæ regno, videret ſe omni ſpe adipiſcendi deinceps regni deſtitutum, cùm matre Agatha, & Margarita, atque Chriſtiana ſororibus, in Hungariam ad avum redire conſtituit. Sed adverſis ventorum flatibus tandem in Fortheam æſtuarium Scotiæ delatus eſt, in eum ſinum, qui & hac noſtra memoria D. Margaritæ dicitur. Nalcolmus Scotorum Rex, haud immemor, quòd ab Eduardo regno reſtitutus fuiſſet, humaniſſimè eos ſuſcepit, & Margaritam in uxorem duxit. *H.Boet.l.12.*

Pacis.

☞ *Conſule Locum Inimicitiæ per matrimonia, & nuptias diſſolutæ.*

Fridericus I. Imp. poſt pacem cum Guillelmo Siciliæ Rege conciliatam, animum quoque ad jungendam affinitatem adjecit, atque ab eo Conſtantiam uxorem Henrico filio poſtulavit. Hæc erat Rogerii regis avi ejus filia, quæ, Gulielmo ſine prole moriente, regnum ſecum erat Siciliæ adductura. Hanc igitur Gulielmus, poſtquam ipſe de filiis ex Joanna uxore ſuſcipiendis deſperavit, haud gravatè jam grandiorem natu Henrico Regi deſpondit, eumque in ſpem regni poſt exceſſum ſuum obtinendi erexit. Itaque cùm eſſet magno comitatu in Lombardiam anno 1186. adducta, Fridericus eam Mediolani excepit, ac 6. Kalend. Febr. ſplendidiſſimo apparatu ſponſalia in hortis S. Ambroſii celebravit, *Sigon. lib.15. regni Ital. ex Gotofredo Viterbienſe, & Urſpergenſe.*

Inter Alexandrum III. Scotorum, & Magnum Norvegorum Reges, de Hebridibus inſulis certantes, pax facta his legibus. Magnus, & Norvegorum primates omni ſe jure Hebridum abdicarent, ac pro eo Alexander quatuor marcarum millia argenti Norvego Regi numeraret, & in ſingulos annos centum marcas argenti penderet. Margarita Alexandri filia, vix dum unum annum nata, Hangonano Magni filio, in cunis adhuc vagienti, dum uterque ad maturam perveniſſet ætatem, matrimonio jungeretur: *H.Boet.l.13.*

Regni.

Mathias Hunniades à Ladislao Hungariæ, & Boemiæ Rege Viennæ in vinculis habebatur. Mortuo Ladislao Pragæ, Georgius Podiebrachius Gubernator, ea hora, qua Rex emiſit ſpiritum, detracto ei annulo, literas Viennam ad Mathiam Hunniadem ſcripſit, ut eum ſub ſpe libertatis aſſequendæ Pragam eliceret. Quippe hac conditione vinctus erat, ne liber fieret, niſi Rex ipſe, manu ſua ei oblata, liberum pronunciaret. Ejuſmodi illecebra juvenis illectus, Pragam cum deductoribus venit, ad novam cuſtodiam illum deducentibus, ex qua (niſi magno precio ſe redimeret) exeundi poteſtas non erat. Georgius habitis comitiis rex pronunciatus eſt. Et eodem ferè tempore Hungari Mathiam, opera Michaelis Zylagii avunculi Regem dixere. Georgius illum hujus rei ignarum, menſæ ſuæ adhibet (ad quam præter uxorem, & filiam Catharinam, forma elegantem, nemo aderat) crebroque ad hilaritatem invitans, eandem: Si quid ego, inquit, te adjuvero, & ab hac captivitate liberavero, ita ut ad regnum Hungariæ conſcendas, ecquid erit præmii? Magna, inquit, res magna præmia ſequi debet. Interpellat Georgius: Nullius ego pecuniæ, inquit, ſed amicitiæ potiùs, & concordiæ per affinitatem tecum ineundæ cupidus ſum. Proin ſi cordi eſt filia iſta mea, hanc tibi deſponſam mea matriſque voluntate habeas. Datæ invicem dextræ, ſponſaliaque protinus jure legitimo confecta. *Dubrav.l.30.*

Divitiarum. Propter Divitias conciliata matrimonia.

M. Tul. Cic. Terentia prætextu perfidiæ erga maritum repudiata, virginem duxit, ut exprobravit ei Terentia, forma illius captus; ut Tiro memoriæ prodidit, Ciceronis libertus, quo illius facultatibus diſſolveret creditum. Nam fuit puella locuples admodùm, cujus patrimonium adminiſtravit Cicero hæres fiduciarius inſtitutus. Quòd verò eſſet ſuprà modum obæratus, amici, & neceſſarii induxerunt, eum, ut præter ætatem duceret hanc puellam, dimitteretque ejus pecunia creditores. *Plut. in Cicerone.*

QUANDO. TEMPUS NUPTIARUM.

In feſtis publicis nubere non erat fas virgines Romæ, cùm tamen viduæ tunc nuberent. Utrùm, ut Varro eſt auctor, quòd mœſtæ nubant virgines, mulieres lætæ: feſto autem non liceat quicquam per mœſtitiam agere, nec coactè; An potius quòd virginibus honeſtum ſit non paucis, viduis turpe multis nubere præſentibus? Hinc primæ optabiles nuptiæ, odioſæ

ſecun-

ſecundæ ſunt. Erubeſcunt namque, ſi vivis prioribus viris e-
A locent ſe aliis: ſi defunctis, lamentantur. Itaque ſilentio malunt quàm cum tumultu deduci. Feſta autem retrahunt vulgus, his ut vacare nequeant. An quòd, cùm Sabinorum natas, quæ virgines erant, feſto rapuiſſent, implicati fuerunt bello, pro inauſpicato habuerunt, ſi filiæ diebus feſtis nuberent. *Plutarch. in quæſt. Rom.*

Romani menſe Majo non ducebant uxores. Utrum quòd interveniat inter menſem Aprilem, & Junium: quorum hunc Junoni, illum Veneri deabus conjugalibus ſacrum rati, præveniunt pauliſper, aut operiuntur? An quòd menſe hoc maximam luſtrationem obeant, ac tunc imagines de ponte in amnem præcipitent, ut quondam homines? Quapropter flaminicam, quæ ſacerdos Junonis habetur, ſolemne eſt tunc mœſtitiam præ ſe ferre, nec lavare, nec comi. An quòd complures Latini hoc menſe manibus dent inferias? Qua de cauſa Mercurium fortaſſe venerantur hoc menſe, & à Maja hic mutuatur nomen. Ad quod nonnulli ferunt, Majus à majore, Junius à juniore ætate eſt dictus: Nuptiis autem congruentior juventus eſt. Non jungunt igitur menſe Majo nuptias, ſed expectant, qui eum conſequitur, Junium. *Plut. in quæſt. Rom.*

B

AMICITIÆ CONJUGALIS ΦΤΛΑΚΗ.

CONSTANS. HUC PERTINENT.

Non repudiatæ uxores.

Flámini Diali Romæ dimittere uxorem liberum non erat. Primus ad cujuſdam poſtulationem Domitianus veniam dedit. Dirimebantur autem nuptiæ coram Pontificibus, qui multa horrenda, monſtruoſa, & dira peragebant. *Plut. in q. Roman.*

ALPHONSUS X. Caſtellæ Rex, habuit uxorem Violantam Jacobi Regis Aragonum filiam, quam plurimùm dilexit. Sed cùm prolem ex ea nullam ſuſciperet, repudiare eam cogitans, Chriſtianam puellam forma conſpicuam, Daciæ regis filiam in matrimonium per oratores poſtulavit. Quæ dum maximo cum comitatu nobilium jam Hiſpalim applicuiſſet, præter omnium ſpem repentè regina Violanta gravida apparuit. Rubore perfuſus rex, quo pacto levitatem ſuam tegeret, diù, multùmq; ſollicitus cogitabat. Ergo frater Regis Philippus, electus Ec-
C cleſiæ Hiſpalenſis præſul, relicto ſacerdotio, obtulit ſe futurum maritum Chriſtianæ. Quæ res cùm admodùm grata Alphonſo eſſet, in dotem Alnam, & Valdecornea, & alia caſtra, ac dominia contulit. Ipſe ex Violanta genuit Berenguelam filiam, Ferdinandum de Lacerda, Sanctium IV. Joannem, Jacobum, Petrum, & Leonoram. *Cuſp.*

Non derelicti mariti.

☞ *Vide Tit. Fidei erga maritos.*

INCONSTANS. REPUDIUM, Divortium.

QUOMODO FACTUM.

☞ *De modo Conſule Tit. Oeconomicum.*

A QUIBUS FACTUM. Qui quas repudiarint.

D

☞ *Exempla aliquot Pete ex Tit. Impudicitiæ, & adulterii. Perfidiæ erga uxores. Pœna perfidiæ erga uxores. Pœnitentiæ denique religioſæ eorum, qui propter affinitatem uxores ſuas repudiarunt.*

DAVID Rex in regnum reſtitutus, Decem concubinas ſuas, quas Abſalon F. regno occupato Hieroſolymis publicè conſtupraverat, in cuſtodiam dedit, eaſque illic aluit, neque cum eis rem unquam habuit. 2. *Reg.* 2.

Judæi è captivitate Babylonica reverſi, cum gentibus vicinis affinitatem contraxerant. At Eſdra primùm, deinde & Nehemia monentibus, alienigenas uxores cum filiis ex iis ſuſceptis repudiarunt. 1. *Eſdr.* 9. & 10. & 2. *Eſd.* 13.

Aſſuerus, ſive Artaxerxes Perſarum Rex Vaſti reginam, quam ſummoperè diligebat, eò quòd accerſita à rege comparere noluerat, repudiavit: & Eſter Judæam ſuperinduxit, *Eſt* 1. *cap.* & *Joſeph. l.* 11. *c.* 6. *Antiq.*

ARISTON, Rex Spartiatarum, propter infœcunditatem uxorem repudiavit, ſuperinducta ex pacto uxore Ageti: ex qua ſeptimo menſe Damaratum genuit. *Herod. l.* 6.
E
Pericles repudiata propinqua ſua femina nobili, è qua liberos ſuſceperat Xanthippum, & Paralum, alterique locata, ſed volente, Aſpaſiam meretricem nobilem in uxorem duxit. *Plutarch.*

Megara Tebana Herculis uxor fuit. Sed poſteàquam iis, quos ex ea ſuſceperat, filiis eſt orbatus, mulierem ſibi ratus non ſatis fauſtis conjunctam auſpiciis dimiſit. *Pauſ. in Phocicis.*

Philippus Macedo repudiata ob ſtupri conſuetudinem uxore Olympia, Cleopatram Attali ſororem in uxorem duxit. *Juſtinus.*

Sp. Carbilius, cognomento Ruga, M. Attilio, P. Val. Coſſ. uxorem ſuam primus apud Rom. repudiavit, quòd ex corporis vitio ſterilis eſſet: cùm inter maritum, & uxorem à condita Urbe ad annum uſque vigeſimum tertium, & quingenteſimum, nullum repudium fuiſſet. Cauſa repudii fuit, quòd juriſiurandi religionem animo, atque amori (quo uxorem propter ſuaviſſimos mores proſequebatur) præponebat. Namque jurare cenſoribus coactus erat, uxorem ſe, liberorum quærendorum gratia habiturum. *Dionyſ. Halicar. l.* 1. *Val. Max. l.* 2. *c.* 1. *Gell. l.* 4. *c.* 3. *Plut. in Comparat. Numæ, & Lycurgi.*
F
SULPITIUS Gallus II. à Carbilio repudii nuncium uxori miſit, quòd eam in caput veſtem deducere animadvertiſſet. Tertius id fecit P. Sempronius, quòd ejus uxor ludos funebres ſpectaſſet. *Plut. in q. Rom.*

L. Paulus Æmil. cum uxore Papyria, Maſſonis vel Mnaſonis viri conſularis F. divortium fecit (incertum qua cauſa, neque enim illam, calceo oſtenſo amicis, prodere voluit) ex qua tamen duos filios tulerat, quorum unus à majore eſt Aphricano adoptatus, ut *Plut.* ſcribit *in ejus vita*, alter à Fabio Maximo quinquies conſule. Filias adhæc duas, quarum una M. Catonis filio, altera Ælio Tuberoni nupſit, viro ſingulari virtute, inopia inſigni, ut XVI. viri ex Æliorum gente cum conjugibus, & liberis unas ædes, eaſque permodicas colerent. *Sab. l.* 8. *Enn.* 5.

Romanus quiſpiam nuncium uxori remiſerat. Hic corripientibus eum amicis, quærentibuſque: Nonne caſta, nonne formoſa, nonne fœcunda eſt? prolato calceo: Nonne ornatus eſt, hic, inquit, nonne novitius? At nemo videt veſtrum, ubi pedem meum urgeat. *Plut. in Æmilio.*

L. Lucullus poſt Mithridaticum triumphum Clodia repudiata, quæ ſuper alia probra cum P. Clodio fratre inceſtum
G
commiſiſſe ferebatur, Serviliam Catonis ſororem ſibi matrimonio junxit. Cùm hac quoque divortium fecit ob ipſius intemperiem. *Sab. l.* 4. *Enn.* 9.

L. Sylla dictator, poſtquam rerum potitus eſt, decimam bonorum omnium Herculi perſolvit, epulumque ſumptuoſiſſimè inſtructum dedit populo, convivatuſque eſt plures dies lautiſſimè, quo tempore Meteliæ è vita migraturæ, ne domum funeſtaret, amicorum conſilio repudium miſit ex ſcripto. *Sab. l.* 3. *Enn.* 6.

L. Sylla Cn. Pompeii virtutem admiratus, affinitate eùm ſibi jungere curavit. Metella uxor Pompejo ſuaſit, ut Ariſtia dimiſſa, Æmiliam, Syllæ privignam, ex Metella, & Scauro genitam, duceret, ex priore viro gravidam. Ad Pompejum Æmilia adducta, repudiata eſt Ariſtia, proba ac miſera, jamdudum etiam patre Ariſtio orbata, qui à Marianis jugulatus fuerat in Senatu propter Pompejum, Syllanam factionem ſequentem. Hoc repudium Ariſtiæ mater cùm agnoviſſet, mortem ſibi intulit. Pleriſque tragicæ hæ nuptiæ viſæ ſunt, cùm etiam nupta ipſa apud Pompejum mox è partu obiiſſet. *Joan. Gerund. l.* 8. *Paral. Hiſp.*
H
M. Tul. Cic. poſt Cæſaris dominatum cùm ſeſe quieti dediſſet, uxorem repudiavit Terentiam, quòd neglectus in bello fuiſſet ab ea, ut dimitteretur ſine neceſſario viatico: & cùm recepiſſet ſe in Italiam, parum benevola uſus. Nam nec Brunduſii eum, cùm diù illic hæreret, inviſit: neque proficiſcenti eo filiæ adoleſcentulæ comitatum, aut viaticum præbuit tam longo itinere honeſtum. Immò verò domum Ciceronis deſolatam, & planè inanem reddidit, multòque oppreſſam, & gravi ære alieno. Superinduxit verò puellam locupletem valdè. Antonius in Orationibus, quas contra Philippicas ſcripſit, ubi mentionem facit harum nuptiarum, uxorem eam memorat, apud quam conſenuerat, ejeciſſe: ſimul feſtivè domi reſidem ut ignavum, & imbellem mordens. Non diù ſub has nuptias filia ejus apud Dolabellam deceſſit ex partu. Quem caſum tulit acerbiſſimè, ut etiam novam nuptam, quòd morte Tulliæ videretur exultaſſe, repudiaverit. *Plut. in Cicerone.*

M. Anton. magiſter equitum à Cæſare dictus, cùm ſuſpicaretur violaſſe nuptias ſuas Dolabellam, nuncium remiſit
A uxoris, quæ patruelis ſua erat, C. Antonii Ciceronis collegæ filia, & Aſinii partes ſecutum Dolabellam oppugnavit, in novis tabulis promulgandis. *Plut. in Ant.*

L. Antonius à cenſoribus notatus, & ſenatu motus fertur, quòd nullo conſilio aut modo, quam in matrimonium duxerat, repudiaſſet: & Tiberius Cæſar Quæſtorem gradu dejecit, quòd quam conjugem duxerat, tertio poſt die dimiſiſſet. *Alex. lib.* 4. *cap.* 8.

HERODES Judæorum rex deprehenſam in veneficio Doridem uxorem, matrem Antipatri, ſpoliatam multorum talentorum ornamentis ejecit è regia. Accuſabatur etiam pontificis filia, altera regis uxor, quaſi ſecretorum horum omnium particeps, ſed ſtrenuè diſſimulans. Quapropter, & ipſam rex abjecit, & filium ejus Herodem è teſtamento delevit, ubi ſucceſſor deſtinatus fuerat. Socero quoque Simoni, Boethi filio, ſacerdotio privato, ſubrogavit Matthiam Theophili filium, Hieroſolymitanum genere. *Joſ. lib.* 17. *c.* 6. *Antiq.*

TIBERIUS Cæſar Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Pomponii Attici equitis Romani, ad quem ſunt Ci-
B ceronis epiſtolæ, duxit uxorem: ſublatoque ex ea filio Druſo, quanquam benè convenientem, rurſumque gravidam dimittere, ac Juliam Auguſti filiam confeſtim coactus eſt ducere, non ſine magno angore animi: cùm & Agrippinæ conſuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret, ut quam ſenſiſſet, ſui quoque ſub priore marito appetentem, quod ſanè vulgò etiam exiſtimabatur. Sed Arippinam, & abegiſſe poſt divortium doluit, & ſemel omninò ex occurſu viſam, adeò contentis, & tumentibus oculis proſecutus eſt, ut cuſtoditum ſit, ne unquam in conſpectum poſthac veniret. *Suetonius.*

C. Caligula Lolliam Paulinam uxorem duxit: cujus virum Memmium Regulum coegit eam ſibi deſpondere, ne eam, quæ deſponſa non eſſet, contra jus faſque duceret, eandemque paulò poſt repudiavit. *Xiphilinus & Suetonius.*

DOMITIANUS Imper. uxorem Domitiam Longinam, priùs Ælio Lamiæ (quem paulò poſt occidit) nuptam (ex qua in ſecundo conſulatu ſuo filium tulit, alteroque anno conſalutavit, ut Auguſtam) Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiavit: intraque breve tempus impatiens divortii, quaſi efflagitante populo, reduxit. *Coſpinianus.*

C DIOCLETIANUS Imp. filiam habuit unicam, Valeriam nomine, à qua Valeria eſt regio dicta, teſte Marcellino, quam Galerio Cæſari uxorem dedit poſt adoptionem, coacto priorem repudiare uxorem. *Cuſpinianus.*

Habuit Conſtantius Chlorus uxorem Helenam, obſcuri generis feminam, tamen ſanctam (licèt quidam tradant, eam non uxorem legitimam illi, ſed fuiſſe concubinam) ex qua Conſtantinum Imperatorem ſuſtulit. Sed hanc juſſus repudiare, cùm adoptaretur à Maximiano, Cæſarque fieret, privignam Maximiani Theodoram accepit: ex qua liberos ſuſcepit. Annibalianum, qui & Gallus dictus eſt, patrem Dalmatii Cæſaris: & Conſtantium, patrem Juliani principis, & Galli viri ſcelerati, mariti Conſtantiæ, magni Conſtantini filiæ: ac Conſtantiam, uxorem Licinii Imp. qui ex Conſtantia genuit Licinum juniorem, & Annibalianum. *Idem.*

Tradit *Zonaras*, Irenem ad Carolum Magnum regem Francorum miſiſſe, ut ſuo filio Conſtantino VI. uxorem filiam Rotrudim daret. Sed poſtremò dominandi voluptate irretitam, curam abjeciſſe, ne filius Francorum naturam
D ex converſatione indueret, ideòque potiùs puellam ex Oriente quæſiviſſe quandam Mariam ab Annia, Armenam, ſpreta Caroli filia. A filio iterùm ad ſocietatem imperii aſſumpta, perſuaſit ei, ut Maria uxore in monaſterium relegata, Theodatam cubiculariam Auguſtam crearet, & uxorem duceret. Quo aſtu cùm à F. ſubditos alienaſſet, ipſum imperio, oculis & vita privavit filiis ejus oculos eruit. *Paulus Diaconus, & Zon. & Cedre.*

ALEXIUS Romanus monachus prima nuptiarum Virginitatis amore ſponſam deſeruit: & ſpontè in exilium abjens, per annos XVII. peregrinatus eſt. *Sur. tom.* 4. *die* 17. *Julii.*

Habuit Alexius Angelus Byzantinus Imper. tertiam filiam, Eudociam nomine, quam ipſo adhuc Andronicum Comnenum tyrannum fugiente, & apud Iſmaelitas in Palæſtina oberrante, patruus Iſaacius Stephano deſpondit, Triballorum principi. Verùm is exiguo tempore in Principatu exacto, in Papycio monte factus eſt monachus. Filius verò Stephanus, Eudocia paternæ ſatrapiæ domina declarata, liberos ex ea ſuſcepit. Sed cùm ille uxoris pruritum libidinis, ea contrà
E
marito bibacitatem à primo diluculo, & aliarum mulierum conſuetudinem obiiceret, diſſidio ſubinde creſcente, Stephanus objecto adulterii crimine, Eudociam omni veſtitu muliebri ſpoliatam, ſola interula tenui relicta, eaque undique præciſa, ut vix pudendas partes tegeret, quo libitum eſſet, abire juſſit. Huic pœnæ tam atroci frater ejus Volcus interceſſit; ſed cùm eum movere non poſſet, ipſe Eudociam pro dignitate Dyrrachium perducendam curavit. Quam pater Alexius in ædes ſuas recepit. Inde ſuſceptis mutuo inimicitiis, Volcus victor, fratrem Stephanum & principatu, & patria exegit. *Nicet. lib.* 3.

VORTIGERIUS rex Britannorum, repudiata uxore, Ronicem Hengiſti Saxonum ducis, F. duxit, captus & forma, & virtute puellæ. *Polyd. lib.* 3. & *Æmilius.*

CHILPERICUS rex Gallorum Andoveram repudiavit, prætextu ſpiritualis cognationis, eò quòd doloſè à Fredegunde pellice mariti perſuaſa, pro recens nata ſibi filia in baptiſmo fidejuſſiſſet. *Robertus Gaguinus lib.* 2.

THEODORICUS Burgundiorum rex, Childeberti F. à Brunechilde perſuaſus, juſtam uxorem Bertrici (vel Deterici) regis Hiſpani filiam Hermebergam ad patrem remiſit integram
F
à ſe, adverſo rumore, quòd ferretur pellicibus ad inſaniam uſque devinctus, ſancti, nobiliſſimique connubii uſu perfrui, & virginis florem delibare non poſſe, velut maleficis artibus, carminibuſque prohibitus. Illud ſatis conſtat, Hiſpanis oratoribus regias omnes circumeuntibus, quatuor reges in Theodorici perniciem conſpiraſſe, Clotarium Francorum regem veterem hoſtem, Theodebertum fratrem memorem ignominiæ, periculique, Longobardum Agilulphum (cujus filio Adalvaldo admodùm adoleſcenti filiam, & ipſam immaturam in ſpem nuptiarum Theodebertus rex Auſtraſianus deſponderat) & Hiſpanum filiæ vindicem. Tunc fracta Theoderici ferocia. Fratri igitur, ut pacem redimeret, tradidit quatuor nobiliſſimos Comitatus, Turonenſem, Campanum, Alſacienſem, Sugitenſem. *Æmilius libro primo, Regino, & Gaguinus.*

Berta, Pipino rege marito mortuo, Romam religionis cauſa profecta, in itinere, cum Deſiderio Longobardorum rege egit de Theodora ejus ſorore Carolo Magno filio collocanda. Hanc uxorem magnificentiſſimè ductam repudiavit anno circumacto, incerta cauſa, ſumma non deſiderio modo, ſed & ma-
G
tris Bertæ indignatione, magnoque rerum motu inſecuto. Nam Hadriani inſtinctu contra Longobardos animatus Carolus Deſiderium bello captum in Franciam abduxit, & Longobardorum regnum ſuſtulit. *Æn. lib.* 2.

Lotharius Lotharii Imper. F. Pii nepos, Lotharingiæ rex, duobus Epiſcopis regni ſui actoribus, Guntarin Agrippinenſium, & Tergando Trevirorum, cum uxore ſua Terberca divortium fecit, quòd eam diceret ętate provectam, ac ſeram ad prolem ſuſcipiendam: adulterii etiam cum fratre arcebat: idque corruptis judicibus, ac teſtibus coemptis facilè probavit. Valdradamque florentiſſima ætate, ſpecieque egregia duxit. Admonitus à Nicolao Pontifice maximo, perſtabat in amentia. Epiſcopi, quòd connubium diremiſſent, è gradu dignitatis dejecti ſunt: Lothario communione piorum interdictum. Ad iram Pontificis deprecandam Romam profectus, in reditu deceſſit. *Ex Reginonis libro ſecundo. Æmilius libro* 3.

Carolus Craſſus Imper. Leviduardum Epiſcopum Vercellenſem, cum uxore ſua Richarde familiarius, quam oportebat converſantem, ob adulterii ſuſpicionem expulit, & uxo-
H
rem in cœtu aulicorum accuſans, diſertè indicavit, ſe cum ea toto decennio, quo ſibi nupta fuiſſet, non concubuiſſe. Illa ſeſe purgans de obiecto crimine, ab ipſo ſeparata, in monaſterium abiit. *Regino libro* 2. *Sigebertus* anno 889. Epiſcopum vocat Luitualdum.

Ludovicus Balbus Imper. in flore juventutis nobilem quandam puellam Anſtgardam nomine mirè deperibat, quam ſibi conjugii fœdere, neſcio patre Carolo Calvo, copulavit, ex qua duos filios, præſtantes forma, atque animo juvenes, ſuſcepit, Ludovicum & Carolomannum: qui regnum Franciæ à Normannorum incurſu, ac infeſtatione tutati ſunt. Cæterùm pater eum coegit repudiare, quam ſine ejus voluntate duxerat: & interpoſito juramento ſolemni, ne unquam eam reciperet, dedit illi Adelfieidam in matrimonium, quam gravidam reliquit, cùm mortem obiret. Sed eo expleto partu genuit poſthumum, cui nomen avi impoſuit, & dictus eſt Carolus Simplex, rex Franciæ. *Ex Reg. lib.* 2. *Cuſp.*

Henricus Imp. Hatburgin conjugem ſuam, propter ſanguinis vinculum, & quia eam virginem monialem duxerat, repudiavit, Sigiſmundi Halberſtadienſis Epiſcopi auctoritate. *Chronicum Merſburgenſe, & Crantzius.*

Ausbertus homo aulicus, cùm duxiſſet uxorem Andragaſinam virginem, ob lepram eam reliquit, & cœnobium ipſe ingreſſus eſt. *Volat. lib.21. Anthrop.*

HENRICUS III. Imp. uxorem primam Cunegundin, regis Anglorum Cynitonis filiam, ob ſuſpicionem adulterii repudiatam in cœnobium monialium adegit. *Cuſp.*

Habuit Fridericus I. Imp. uxorem Adelam, Marchionis Theobaldi de Volburg. in Bavariam filiam, cum qua judicio Conſtantienſis Eccleſiæ ob ſanguinis propinquitatem coactus eſt divortium celebrare anno 1156. Eam poſt Dietho de Ravenſpurg uxorem accepit. *Appendix Mariani Scot. & Chronicum Hirſaugienſe Tritenbemii. Cuſp.*

PHILIPPUS I. Francorum rex uxorem duxit Bertam, Balduini Comitis Hollandiæ tutoris ſui filiam, ex eaque filium Ludovicum Craſſum in regno ſibi ſucceſſorem ſuſtulit: tandem repudiare conatus, ab ſe ablegavit in maritimum oppidum Monirolium, Bertradamque (ex Fulcone Aſpero Andegavenſium Comite marito matrem Fulconis futuri Hieroſolymitanorum regis) ſibi thoro junxit, ac per aliquot annos habuit, tum illi deditus, ut ejus nutu omnia adminiſtrarentur, circumagerenturque: nec niſi coactus, pellice dimiſſa uxorem reduxit, cùm ſummus pontifex Urbanus aqua, & igni ei interdixit. *Æmilius lib.3.*

PHILIPPUS II. Francorum rex, mortua Eliſa uxore, Dani regis ſororem Ingelbergam, vel Embergam, vel Gelbergam uxorem duxit. Eadem intra tertium menſem per cauſam propinquitatis dimiſſa, Mariam ducis Moraviæ, ſeu Boemiæ filiam ſuperinduxit. Dano rege per oratores apud Pontificem maximum agente, duo ampliſſimi ordinis patres in Galliam legati venere, regique denunciavere, ut à conſuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat. Divione primùm, inde Sueſſione concilium Patrum habitum. Decretum, ut Franciæ ſacrificiis interdiceretur. Patres expectabant, ut ultro rex Danam uxorem agnoſceret. Conſuetudine Mariæ tenebatur, nec ab ea ſecubabat. Labebatur longior dies, temporiſque ſpacium illi dabatur, ſi à pertinacia deſiſteret. Sed publico conventu toties coacto, neceſſe erat judicium aliquando facere. Rurſus coguntur Patres: adeſt & rex. Jam liberior dolor, voxque hominum, & magis apertus ſenſus erat: & præ ſe ferebant Patres, quidnam ipſis neceſſe foret decernere. Tunc demùm rex neceſſitatem in virtutem vertit, relictoque conſeſſu, in equum, cùm inſiluiſſet, poſt ſe receptam Gelbergam in regiam reduxit. Octavianus Romanus legatus, lætum id, quod captarat ſecutum, nullo judicio facto concilium dimiſit. Paulò pòſt ex mœrore repudii deceſſit Maria. Philippum ex ea ſuſceptum juſtam Auguſti ſobolem eſſe Pontifex Maximus decrevit, non ſine multorum tunc admiratione. *Æmilius lib.6. & Ritius lib.2. regum Francorum. Vincentius lib.29.c.55. Antonius tit.7.§.27. Robertus Gag. lib.6.*

RODULFHUS Viromanduorum Comes juſta uxore repudiata, Petronillam, ſororem reginæ Leonoræ, Ludovici Junioris Francorum regis uxoris, auſpicibus aliquot Epiſcopis, matrimonii nomine duxerat. Prioris uxoris cauſam unus Theobaldus Comes Campanus defendere audebat: eoque agente Pontifex maximus in Franciam legatum miſit. Epiſcopis divortii auctoribus, ſacrificiis, & Rodulpho ſimul, & Petronillæ aqua, & igni interdictum. Rex moleſtiſſimè ferente regina, quod ea ignominia ſorori inureretur, in Theobaldum exercitum duxit. Comes ne bello averteretur, iniquas (ut divus Bernardus coarguere auſus eſt) conditiones accepit, ac ut pacem ab irato, prementeque rege impetraret, ſupplicibus literis Pontificem max. exoravit, ut interdictum induceretur, pollicitus Viromanduum juſtam uxorem reducturum. *Æmilius l.5.*

GULIELMUS Aquitaniæ dux religionis cauſa in Hiſpaniam ad divi Jacobi profectus, in itinere morbo correptus, obteſtatus eſt proceres comitatus ſui, ſecundum obitum ſuum ſumma ope contenderent, uti Leonora filia Ludovico Juniori regi, Craſſi regis Francorum filio, nuberet, mortuo fidem, officiumque proceres præſtiterunt. Illis evocantibus Burdegalam, à patre miſſus juvenis rex, ſibi matrimonio puellam junxit, maximo utriuſque gentis gaudio. Nullum auſpicatius conjugium initio viſum: nullum divortium infelicius cecidit. Nam cùm Leonora Ludovicum in ſacram expeditionem, & amore ipſius, & cupiditate videndi Raymundum Antiochenſium principem patruum, comitata eſſet, dum deſidet inter delicias, luxuriamque Antiochenſem, mulier jam caſtris, ferroque, ac proceribus militaribus aſſueta, parum pudica videri cœpit. Sed cùm nec locus apud patruum, nec tempus tanta in rerum mole criminis diſcutiendi eſſet, ſimul ac in Franciam reverſus eſt è bello ſacro, nihil antiquius habuit, quàm ut Leonoræ matrimonium dirimeret; Baugentiaci concilium habitum. Rhemorum, Senonum, Rotomagenſium, Burdegalenſium Archiepiſcopi conſedere. Interrogati teſtes: fides propinquitatis facta, conſtitutum, conſtare conjugium piè non poſſe. Ita non ſine admiratione terrarum dimiſſa Leonora (quam per tot annos uxorem habuerat, unde duas filias procrearat) Conſtantiam Adelphonſi Galecorum regis filiam uxorem duxit. Leonoram dimiſſam Henricus Andegavenſis vxorem duxit: iſque mortuo Stephano regi in Angliæ regnum ſucceſſit: materno jure idem rex Anglorum duxque Normannorum: paterno comes Andium, Turonum, Cænomanorum: uxorio comes Pictonum, & dux Aquitaniæ. Henricus rex uxoris furiis accenſus, ex profeſſo bellum ſuſcepit. Leonoræ nomine Toloſatium comitatum repetens. Cadurcos certè cepit. Toloſam cùm obſideret, ejus comitatus principem urbem, Ludovicus rex auxilio accurrit Comiti Raimundo ſororis viro, illumque exemit obſidione. Poſt id tempus nunquam fida inter Francos, & Anglos pax jungi potuit, ſæpe arma poſita, ſæpe repetita: oppida utrinque capta: vaſtati agri: levia prælia facta: dextræ interjunctæ, mox rurſus enſes ſtricti. *Æmilius lib.4. ex Radevici lib.4.c.36.*

Jacobus Fortunatus, Aragonum Rex octavus adoleſcens adhuc puellam quandam adamavit nomine Tireſiam, Joannis Bitauræ filiam. Quam cùm neque blanditiis ullis, neque muneribus allicere poſſet, nocte quadam in domum patris puellæ ſe contulit, ibique latuit. Poſt mediam noctem cunctis jam dormientibus puellæ cubiculum ingreſſus, ad eandem tandem pervenit. Quæ cum nullo modo admittere voluit, niſi conjugium promitteret. Ille amoris ſtimulis agitatus, viro quodam adhibito, qui eum obſervabat, Tireſiæ fidem conjugii dedit, & ex ea duos filios progenuit. Cæterùm pòſt à quibuſdam perſuaſus, ut Alphonſi Caſtellæ Regis filiam duceret, legatos eò miſit ad matrimonium conficiendum. At Tireſia ſtatim procuratores Caſtellam miſit, qui die ſponſaliorum, matrimonium Jacobi, cùm Tireſia factùm publicè denunciarent. Hunc ſibi metuens à Rege, parvo comitatu Romam ſe contulit, & Regi literas citatorias miſit, ad cauſam pacti patrimonii coram ſummo Pontifice diſputandum. Pontifex partibus auditis, cùm Tireſia ſine teſtibus (Nam miles unicus, qui jurejurando Regis interfuerat, è vita diſceſſerat) matrimonium ſola probare non poſſet, Jacobo Regi permiſit, ut cum Leonora Caſtellæ Regis filia matrimonium contraheret, ex qua filium progenuit Alphonſum. Aliquamdiu poſt certior factus Pontifex Gregorius: arctiore conſanguinitatis gradu junctam eſſe Leonoram Jacobo, illorum matrimonium non ſolùm confirmare noluit, ſed etiam diſſolvit, & in perpetuum divortium nunciavit, Alponſo tamen filio legitimo remanente, literaſque conceſſit, quibus legitimum eum fecit. *Marinæus lib.10. rerum Hiſpan.*

Robertus, cognomento Friſius, primò duxit privignam Philippi regis Francorum, ex qua Ludovicum procreavit. Ea verò poſteà ob corporis obeſitatem repudiata, filiam Andegavenſis comitis ſibi matrimonio conjunxit. *Malmesburienſis lib.3.cap.30.*

Henricus Leo Saxonum dux Clementiam uxorem, poſtquam filiam ex ea ſuſcepiſſet, ſanguinis prætextu repudiavit. *Chron. Sclavorum lib.2.c.10.*

ALMARICUS Balduini III. regis Hieroſolymorum frater, Joppenſis, & Aſcalonitanus comes, clero, & populo univerſo, ex magnatibus verò paucis aſſentientibus, ab Almarico patriarcha Hieroſolymitano coronatus fuit. Sed antè, à patriarcha, & Joanne, & Cardinale pontificio legato, conjugem, quæ quarto gradu eum attingebat, abjurare coactus fuit. *Gulielmus Tyrius lib.19. cap.4.*

Anglorum rex Joannes filiam Gulielmi Comitis Claudioceſtriæ, quam in matrimonio habebat, repudiavit, propinquitatem tunc demùm cauſatus: filiamque unicam Comitis Engoliſmenſis deſponſam jam Hugoni Comiti Marchiæ, patrique in opes ſucceſſuram, ſibi junxit. Hugo dolore ſponſæ

interceptæ adductus, vir ampliſſimæ, ac opulentiſſimæ cognationis, conjurationem nobilitatis Pictonum fecit, ſeque Arcturo duci Britanniæ, Joannis æmulo, conjunxit. *Æmil. l.6.*

Adela Ludovici Gallorum regis F. à Ricardo Anglo ob ſuſpicionem violatæ virginitatis repudiata. *Polyd. lib.13. & 14. & Lud. Vives de Officio mariti.*

Friderici ducis Auſtriæ ſoror Margarita, quæ Henrico Imperat. Friderici II. filio nupſerat, & eo ſine ſobole defuncto, in patriam redierat, Auſtriam hæreditatem fratris ſine liberis defuncti accepit. Et jam anus facta, ac ſterilis, Othocarum Boemiæ regem virum accepit: uxoris dote potiùs, quàm ætate, ac ſpe prolis adductum. Sed is alteram ſuperinduxit, regis Moſcoviæ filiam, Kunigundim. *Bonfinius l.8. Dec.2. & Æn. Syl. c.26. Boemiæ.*

Petrus Candianus, Venetorum dux, cum uxore per ætatem ampliùs parere non valente divortium fecit: & filium, quem ex ea ſuſceperat, religionis prætextu abdicavit. *Sabellic. lib.2 Enn.9.*

Caſimirus II. Polonorum rex uxorem Heduigim, Henrici Heſſorum regis F. ob deformitatem repudiavit. *Cromerus lib.12. & 13.*

Sueno, Ulphonis Svetici, & Eſtritæ Canuti Danorum regis filius, Danorum rex ſororem, ſive filiam Sueonum regis Ingonis Giutham (non præmeditato cognationis vinculo) miſſis legatis in conjugem impetravit, quæ ad Danos non ſolùm pacem, ſed eximia virtutum exempla ſecum adduxit. Hæc à Suenonis mariti thoro Pontificum cenſura ob conſanguinitatis vinculum amota, paternos penates repetens, caſtitatem perpetuam ſervavit. *Joan. Magnus lib.17. c.10.*

Valdemari Danorum regis filia uni filiornm Friderici I. Imper. deſponſata erat, Mortuo Valdemaro, petebatur a Canuto F. dos ſororis. Canutus, cùm aliis quoque de cauſis infenſus eſſet, Imperatori dotem ante nuptias dare recuſavit. Imperator ergo ſororem illi eo, quo illum acceperat, apparatu remiſit. Canutus, manifeſtis deinde inimicitiis ſuſceptis adversùs Imperatorem, omnem terram Vagriorum, Holſatorum, Stormariorum, Polaborum, uſque ad Albim repetens, eam per Vandalos crebris incurſionibus vaſtavit. Eiſdem de cauſis Valdemari vidua, quæ Ludovico Landgravio Turingiæ nupſerat, repudiata, & ad terram nativitatis ſuæ ſine honore reverſa conqueſta eſt de multis in ſe mariti injuriis. Unde rex magis, ac magis inſtimulatus, juſtam ſe in Teutonicos belli cauſam habere arbitratus eſt. *Crantzius lib.6. Saxoniæ, c.53.*

Cùm Joanna regina in Angliam fratris Eduardi III. regis viſendi gratia contendens, nulla relicta prole, mortua eſſet, elapſo anno David Bruſius, Scotorum rex, aliam uxorem accepit Margaritam, filiam Joannis Logi equitis aurati: virginem omnes ſua ætate forma excellentem, magis ut jactabatur, ſpecie captus, quàm quòd ſobolem ex ea cuperet. Eam autem annum egreſſam viceſimum quartum, cùm nullam ex ea prolem ſperaret, repudiavit. Ea cùm Romanam ſedem appellaſſet, multis illic impenſis profuſis tandem defuncta eſt. *H. Boeth. l.15.*

Jacobus Aragonum rex Eleonoram, filiam Aldefonſi Regis Caſtellæ, duxit uxorem, & genuit ex ea filium Aldefonſum: ſed per Joannem Apoſtolicæ ſedis Epiſcopum Cardinalem fuerunt ſeparati, ob conſanguinitatem, filio interim per eundem legatum legitimato. *Rodericus Toletanus l.6. rerum Hiſpan. cap.5.*

FERDINANDUS Hiſpaniæ rex Catharinam F. Arthuro Henrici VII. Anglorum regis F. deſpondit anno 1500. Eo autem immatura morte ſublato poſt quintum menſem connubii, Henricus VIII. rex frater viduam in uxorem duxit, idque Romani pontificis auctoritate, lege ſolutus, cùm Arthurus nullos ex ea puella ſuſcepiſſet liberos. Namque lex à Moyſe populo data eſt, de qua fit mentio in *Deut. cap.25.* ubi legere licet: Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque filiis mortuus fuerit, uxor ejus non nubat alii, ſed ducet eam frater ipſius, & primogenitum ex ea natum nomine fratris ſui appellabit, ut ne deleatur nomen ejus ex Iſrael. Hanc legem Chriſtiana Eccleſia poſteà receperat, pacis confirmandæ cauſa inter principes. Atqui caſus inopinatus interveniſſe dicitur, quaſi teſtis non violatæ Catharinæ virginitatis, quòd ei per imbecillitatem naturæ viri admodum adoleſcentis, virginem adhuc eſſe licuerit, ſicut illa ſanctè affirmabat, & cum ea teſtabantur feminæ probatiſſimæ, quibus cum ille de rebus ſuis ſecretioribus ſæpe communicare ſolebat. At Thomas Volſæus Vintonienſis Epiſcopus, qui apud regem plurimùm poterat, cum Joanne Longlando Lincolnienſi Epiſcopo regis confeſſore, pacto inito, regem inceſti connubii cauſa ſeverè cœpit monere, & ejus pœnam reginæ ſterilitatem obiicere, cum unicam tantùm filiam Mariam ex ea ſuſcepiſſet. Rex invitus, uti ſimulabat, attamen cauſæ cognitionem judicibus commendavit. Regina ad Pontificem provocavit, Volſæi perfidiam deteſtata, qui in gratiam Franciſci Gallorum regis, cujus ſororem viduam, ducis Blenconii uxorem Henrico jungere conabatur, divortium hoc perficere tentaret. Intereà Henricus, cùm oculos adjeciſſet Annæ, filiæ Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rochefordiæ, quæ reginæ inſerviebat, & Volſæus id graviter ferret, à rege, cujus libidini fomites addiderat, in ordinem redactus, præ mœrore in vinculis ſceleſtam evomuit animam. Intereà dum Catharinæ appellationis cauſa apud Pontificem Romanum Clementem agebatur, Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum ſua Epiſcoporum cohorte, ac advocatorum cœtu, acceſſit ad pagum Dunſtablum, propè villam regiam nomine Amphtill, ad ſex millia paſſuum, ubi Catharina id temporis manebat. Hic illa in dies ſingulos citata, cùm poſt decimum quintum diem neque adfuiſſet, neque reſpondiſſet judici, utpote extraordinario, ecce ſubitum divortium: diſceſſit à Catharina Henricus, atque in matrimonium duxit Annam Bulleyne, quam paulò antè amare cœperat, ex qua ſuſcepit filiam nomine Eliſabeth. Quod divortium cùm & alii quidam, & in primis Joannes Fyſherius Epiſcopus Roffenſis, & Thomas Morus eques viri doctrina inſignes, abominarentur, tyrannica crudelitate necati ſunt. Catharina quinquennio pòſt obiit anno 1535. mulier ſanctiſſima, quæ ante obitum literis ad regem ſcriptis, marito extremum vale dixit, filiam Mariam commendavit, & omnem injuriam condonavit. *Polydorus lib.27.*

Quæ quos deſeruerint.

M. Minutio, & Sempronio Atratino conſulibus, etſi cum Latinis annuæ erant induciæ, quia tamen haud dubiè apparebat, illis exeuntibus, bellum atrociſſimum utrinque futurum, publico decreto Mulieribus permiſſum, ut quæ Latini generi, Romanorum matrimonio locatæ eſſent, quæque Quiritii ſanguinis in Latio apud viros agerent, ſi quæ ſuorum deſiderio tenerentur, domum remigrandi, dubium mutuone odio generi, ut omnis è medio neceſſitudo tolleretur, an ne commercia ulla, afficitatis ſpecie, dubiæ adhuc libertati, ea temporum novitate obeſſe poſſent. Satis conſtat Latinarum duas tantùm repertas, quæ Romæ belli tempore eſſe noluerunt, cùm Romanæ interim ferè omnes ad ſuos ſint reverſæ. Quo intelligi poteſt, quantum ab initio ſuavis fuerit incolentibus ipſius urbis genius. *Sab. lib.8. Enn.2.*

Salome, Herodis regis ſoror, novo more libellum repudii marito Coſtobaro, Idumeæ præfecto, orta levi controverſia, miſit. *Joſephus l.15. c.21.*

Herodem Antipam uxor, filia Aretæ regis Arabum, reliquit: poſteaquàm cognoviſſet, quod pactum iniviſſet cum Herodiade Philippi fratris uxore. *Joſephus lib.18. capite 7. Antiq.*

In Proculejam, *Martialis Epigrammatum l.10.*

Menſe novo Jani veterem, Proculeja, maritum
Deſeris, atque jubes res ſibi habere ſuas.
Quid rogo, quid factum eſt? ſubiti quæ cauſa doloris?
Nihil mihi reſpondet? dicam ego, Prætor erat.
Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares.
Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.
Diſſidium non eſt hoc, Proculeja, lucrum eſt.

Mulier Judaica baptizata, elocata eſt viro Chriſtiano: poſteà verò ad Judaiſmum reverſa, cum ſuæ gentis viro matrimonium iniit: ipſe etiam Chriſtianus aliam duxit uxorem: Quorum utrumque perpetraſſe adulterium, Ivo in epiſtola ad Hilgrium Pariſienſem Archidiaconum cenſet.

HUNERICUS Vandalorum rex, Arianæ ſectæ addictus, infensè orthodoxam fidem inſectatus eſt. Quæ res peperit illi connubii diſſidium. Eudoxia Valentiniani III. uxor olim ſive ſoror, veræ pietatis cultrix, viri impietatem pertæſa, votum ſimulans Hieroſolymam petiit, ubi poſteà vitam cum morte commutavit. *Sab. l.2. Enn.8.*

Emanuel Græcorum Imp. Joanni F. ſuo ſeniori uxorem dedit ex Italia Montisferrati principis filiam, moribus quidem